
253
3 G
18

D I S T R I B U T I O


NUMORUM FAMILIARUM ROMANARUM

A D

TYPOS ACCOMMODATA.

E X P L I C A T A

A



C. L. STIEGLITZ,

I. U. D. PRAEPOSITO CAP. COLL. WURZENSIS.

LIPSIAE 1830

SUMTIBUS FR. CHR. GUIL. VOGELII.

ORDO ET RATIO LIBELLI.

X

DISTRIBUTIO

NUMORUM FAMILIARUM ROMANARUM AD TYPOS ACCOMMODATA.

INSTITUTI RATIO.

Constat et in confesso est, Romanorum monetam primis reipublicae temporibus percussam, inscriptione, excepta voce ROMA, carere, deinde vero, media circiter reipublicaé aetate, cum Triumviris Monetalibus res monetaria mandata esset, nomina gentilicia, pronomina, cognomina illorum virorum numis impressa esse. Ea de causa *Familiarum numi* appellabantur. Anepigraphi vero ab *Ursino*, *Vaillanto*, *Morellio* inter incertos repositi sunt.

Illi autem, incerti quidem familiarum, certi tamen consulares, magis placet *Consulares* nuncupare et certo loco recensere, scilicet, ut aetas postulat, ab initio numorum, qui temporibus reipublicae malleum passi sunt.

In enarrandis familiarum numis, insignibus nomine gentis Romanae, semper ordo gentium alphabeticus adhibitus est, ab *Ursino* receptus, a posteris servatus. Ante *Ursinum Hubertus Goltzius* in opere: *Fasti Magistratuum et Triumphorum Romanorum ab urbe condita ad Augusti obitum*, multos numos familiarum collegit ac edidit, illis vero tantum in emendationibus ad fastos consulares usus est. Maxima vero eorum pars, ut notum, aut plane ficta est, aut non immerito suspecta, eorum autem, qui genuini et sinceri reperiuntur, iconismi saepius infideles sunt et interdum falsam habent epigraphen. Postea *Sebastianus Erizius*, in *Discorso sopra le Medaglie degli Antichi*, mercem Goltzianam commentariis illustravit.

Paleam hanc expurgavit *Ursinus* in libro inscripto: ***Familiae Romanae, quae reperiuntur in antiquis numismatibus ab urbe condita ad tempora Augusti.*** In illo opere genuinos modo et omnes suis temporibus cognitos numos familiarum in lucem dedit, et eruditis interpretationibus explicavit. In disponendis autem numis ordinem alphabeticum adhibuit, quod secus fieri non potuit, cum ei duntaxat cura esset, familias Romanas enumerare et persequi, qua in re numi isti optime viam aperuerunt. Nostris temporibus ***Fontana*** in libro: ***Descrizione della serie Consolare*** etiam alphabetico ordine usus est, et novas nonnullas, adhuc incognitas in familiarum numorum serie gentes inducit, partim nomina gentilicia ad alias gentes referens, quam adhuc factum est, partim epigraphen aliter interpretans, quam plerumque legitur.

Illum ab *Ursino* primo adhibitum in componendis familiarum numis ordinem alphabeticum tenere eruditis placuit, visusque alius opportunior adhiberi vix posse. Dispositio illorum numorum ad temporis rationem, ut imperatorum moneta, nullo modo locum capere potest, rarissima enim adsunt aetatis indicia, vaga sunt, quae interdum de eorum aetate dicuntur saepiusque incertis conjecturis nituntur. In universum tantummodo definire possumus, qui primis reipublicae temporibus signati sunt, qui sequenti aetate. Et in hac re praecipue typos adire debemus, varia enim aetate varii placuerunt typi, quod jam ***Eckhelius*** in Doctrina Numorum Veterum, Vol. V. pag. 111. observavit et notavit.

Ordinem vero gentium alphabeticum parum afferre voluptatis eique sterile quid et ignavum inesse, negari non potest et neminem fugit. Accedit, quod interdum his numis lubrica atque obscura epigraphe inest, e qua non satis constat, utrum ad hanc an ad illam familiam pertineant, unde virorum doctorum sententia de familia auctoris hujus vel illius Denarii saepe valde diversa est. Qua de causa diu in votis fuit, ut ordine illo omisso alius in medium proferretur.

Faciamus igitur periculum, numos familiarum alio quam consueto more disponere, eo nempe, ***quo inprimis typi normam expositionis praebent, conjuncta tamen aliquo modo temporis ratione***, sic, ut typos primis reipublicae temporibus adhibitos ab illis separemus, quibus viri monetales media aetate et exeunte republica usi sunt. Exposui hanc dispositionem jam in libello: ***Versuch einer Einrichtung antiker Münz-Sammlungen zur Erläuterung der Geschichte der Kunst des Alterthums.*** Nunc vero propositum est, eam explicare, singulisque numis loca sua adsignare.

Hac dispositione, ut mihi videtur, haec numorum classis non solum jucundior redditur, sed et gravior utiliorque. Numis primis reipublicae temporibus signatis typi quidem simplices et non multum differentes insunt,

typi ex lege quadam antiqua provenientes, tamen ex nostra dispositione nascitur commodi, omnes istius aevi numos consociare et una serie perspicere. Recentioris autem aetatis numi, diversissimis ac praestantissimis typis praediti, subsidia ad mythologiae ac historiae intelligentiam conferunt, unde et illi, sociati, plus utilitatis ac amoenitatis pollicentur, quam si membratim dispersi sint, et variis alphabetico ordine dispositis familiis inserti.

Accedit et hoc, quod familiarum numorum dispositione typis fundata, artis fata atque progressus apud Romanos persequi possumus. Primis enim reipublicae temporibus ars austera et impolita, sequentibus saeculis magis explicata, exeunte tandem reipublicae aetate elegans ac dignitate plena est. In conspectu est artis illa sensim sensimque perducta perfectio, si numi in prima classe nostrae dispositionis collecti comparantur cum iis, qui secundae classi inclusi sunt. De his in alphabetico ordine nulla investigatio aut conquisitio, quae, omnium aetatum numis commixtis ac inter se dispersis, nullo modo admittitur, quin ne quaeri quidem potest.

Vituperari quidem possit, quod sic numorum non pauci sejungantur, qui epigraphes consonae aut connexae causa arcte conjuncti et optime cohaerentes videantur. Tamen haec conjunctio, inprimis, si numi isti non gentium nominum ratione et ad illas enumerandas ac illustrandas disponantur, levis et opinata magis quam vera est, cum illa, orta ex distributione, quae epigraphis missis typis nititur, sine ulla dubitatione meliorem arctioremque se praebeat. Vituperari possit, quod separati interdum sint, qui, eodem tempore et sub eodem viro monetali signati, conjunctim locandi essent, ut Sullae Denarii, eo vivente percussi, numismata Cordii, Carisii, Vibiorum aliorumque. Hoc vero propter typorum diversitatem aliter fieri non potuit. Ceterum illi et denuo consociantur, classi secundae illati, quae numos mediae aetatis et recentiorum temporum complectitur. Quantum fieri potuit, et in nostra dispositione, simulac typi permittunt et quasi postulant, ut in primae classis sectionibus et in numis historicis, etiam ordo alphabeticus admissus est, ea pariter de causa, ut singuli numi facilius inveniri possint.

Aenea autem numismata a moneta aurea ac argentea separari necesse fuit, quod in numis urbium, populorum, regum, jure quidem, aspernamur. Argentei enim numi familiarum, quibus et aurei adjunguntur, tanta typorum varietate insignes, in varias classes dispositionem admittunt, aenei vero, maxima ex parte certis statisque typis signati, classibus istis argenteorum minime conveniunt. Auream monetam, monendum, in numorum familiarum serie raro occurrere, et reipublicae temporibus ex lege ordinaria non signatum fuisse aurum. Primo a Julio Caesare frequens inde aureorum numerus. Antea Romani moneta aurea peregrina et externa usi sunt, inprimis aureis Philippi II, Macedoniae regis, qui, teste Livio, XXXIV,

52. XXXVIII, 59. XXXIX, 5. 7 victis Graecis saepius et magno numero Romam illati sunt.

Numismata coloniarum et municipiorum cum gentium nominibus, recepta a *Morellio* aliisque inter numos familiarum, *Eckhelio* praecedente D. N. V. Vol. IV. pag. 482. Vol. V. pag. 116. prorsus neglexi, cum magistratus municipales, etsi gentibus Romanis homonymi, vix tamen ad eas pertinuerint. Omissi sunt quoque parvi illi aenei, qui plerumque familiis Atiae, Canidiae, Curtiae, Fabriciae, Fadiae, Hostiliae, Lolliae, Minejae, Mitrejae, Papiae, Porciae, Proculejae, Pacuviae, Sestiae, Sosiae tributi sunt. Omnes hi numi sic ut coloniarum numismata, non Romam habent patriam, et a modo numorum Romae temporibus reipublicae percussorum, et quoad typos, et quoad formam ac fabricam in totum abludunt. Si vero quis vitio verteret, quod omnes hi numi excluduntur; eos familiarum numismatibus, tanquam appendicem, adjungere licet. Ab antiquariis etiam numi inscripti ROMA cum variis typis et ex omni metallo, auro, argento, aere, cum Romanorum moneta miscentur. Illos vero non Romae, sed extra urbem cusos esse, a populo Romae serviente, quod et *Eckhelii* sententia est, sine dubio in Campania, typi et opus et picturae stylus et fabrica docent. Igitur et illi familiarum numis a nobis non inferuntur. *Eckhel* eos recensuit et descripsit in Doctrina Numorum Veterum Vol. V. pag. 44.

Quamquam igitur omnes excluduntur numi, qui extra Romam malleum passi sunt, nonnulli tamen argentei, Denarii et Quinarii, in provincia quadam aut aliis exteris regionibus orti, jure familiarum numis inferuntur, quia quoad pondus, quoad typos, Romanorum modum servant, nec non eorum auctores familiis Romanis sanguine conjuncti sunt. Sic Denarii Metelli Scipionis, qui V. C. 707 in Africa adversus Caesarem bellum gessit, peregre signati sunt. Bruti et Cassii numorum varii per varias urbes Graecas, Antonii Quinarii Lugduni cusi, Lentuli Domitii Denarii cum epigraphe OSCA, Oscae Hispaniae, P. Carisii Denarii et Quinarii Emeritae Lusitaniae.

Apud Graecos antiquissimis temporibus aurei et argentei numi in usu fuerunt, recentioribus aenei accesserunt. Romani autem, ut et alii Italiae mediae incolae in feriunda moneta ab aere auspicati sunt. Argentum non prius signatum est Romae, quam V. C. 485. Q. Fabio consule, quinque annis ante primum bellum punicum. *Plinius*, H. N. XXXIII, 3. conf. *Livius*, Epit. Lib. X.

Romanorum argentea moneta vero efficta est triplici modo, *Denarius, Quinarius, Sestertius.* Denarius nomen accepit a denis Assibus, quibus initio permutabatur. Quinarius dictus, quod quinque Asses valebat.

Sestertius propter valorem duorum Assium cum dimidio. Denarii nota est X aut Ж, Quinarii V aut Q, Sestertius notatur IIS aut HS. *Libellam* in moneta argentea numerat *Varro*, L. L. Lib. IV, cap. penult. dicens: Numi denarii decuma libella, quod libram pondo as valebat, et erat ex argento parvo. Hi vero numuli adhuc non sunt reperti. Scriptores veteres etiam *Sembellam*, hoc est, Semilibellam, memorant. *Eckhel* Doct. Num. Vet. Vol. V, pag. 17.

Sub monetae argenteae exordium signati sunt Denarii, Quinarii, Sestertii, cum Palladis capite galeato alato in antica, cum Dioscuris equitibus in aversa. Paulo post, si non eodem tempore, in Denariorum aversa alii quoque typi admissi sunt, bigae et quadrigae, retento Palladis capite in antica. Accedunt et his Denarii et Quinarii, quorum typus in antica caput Jovis aut Apollinis est, in aversa Victoria tropaeum coronans. Alii inde Denarii habent in antica caput Vejovis, in aversa Jovem in quadrigis. Illi numi nullum inscriptum offerunt nomen familiae Romanae. Extant quoque Denarii sine gentis nomine, cum Palladis capite in antica et muliere clypeis insidente in aversa. Nec vero constat, utrum in monetae consortium venerint, nec ne.

Huc quoque pertinent Pondera, quae familiarum nominibus carent. Ponderibus firmus ac perpetuus inest typus. Asses in antica praeferunt caput Jani, Semisses Jovis, Trientes Palladis, Quadrantes Herculis, Sextantes Mercurii, Unciae iterum Palladis caput. Omnes in aversa habent proram navis. His typis Ponderum notae ac signa apposita sunt, lineola I in Asse, S in Semisse, quatuor globuli in triente, tres globuli in Quadrante, duo in Sextante, unus globulus in Uncia. Restant Quincunces, quorum antica est ornata capite Apollinis, aversae insunt Dioscuri equites. Sed illi aenei non sunt commatis Romani, sed sine dubio in Campania signati.

De causis typorum argenteorum aeneorumque, quapropter adhibiti sint, et quid de hac re existimetur, pauca solum referre sententia est. Typus argenteorum antiquus et primis temporibus adhibitus regioni ac populo proprius ac germanus erat. Cum Romani Palladem semper magni facerent propter Palladium ex urbe Troja ab Aenea in Italiam transportatum, ut fabula narrat, imaginem ejus numis suis imposuerunt. Alis, ut victricem, ornarunt. Insuper alata fingitur Pallas, quod ea negotia, quae susceperit, celerrime succedant. *Eckhel*. D. N. V. Vol. V, pag. 85. In aversa argenteorum priscis temporibus Dioscuri equites se sistunt, gemini enim fratres, Castor et Pollux, numina familiaria Romanorum erant.

Alii antiqui Denarii in aversa bigis aut quadrigis notati a scriptoribus, *Livio*, *Plinio*, *Tacito*, bigati atque quadrigati appellati sunt.

Consociantur vero haec vehicula cum Pallade, cujus caput antica habet, sine dubio ea de causa, quod Minerva, *Cicerone*, de Nat. Deorum, III, 23 notante, bigarum et quadrigarum inventrix colebatur.

Diversi ab iis numis sunt, quorum antica Jovis caput offert, aversa Victoriam tropaeum coronantem. Typi illi mutuati videntur ex Capuae numis aeneis, inter quos sunt iisdem typis praediti. Monete antiche di Capua etc. pag. 53. Talia tropaea jam ab Aenea erecta fuisse, *Virgilius* in Aeneide XI, 5 narrat. Illi numi, praecipue Quinarii, Victoriati appellabantur.

Restant adhuc typi aeneorum. In Asse caput biceps et prora navis locum invenit ad Jani et Saturni memoriam in posteros propagandam, neque non Saturni adventum in Italiam denotandum, qui classe provectus ab Jano receptus est. Igitur Assis antica Jani ac Saturni caput conjunctim proponit, quod deinde soli Jano adscriptum est, aversa vero proram navis tenet. Qua de causa et in aliis Ponderibus prora navis admissa est. Sed quamobrem illorum adversa variis numinum capitibus notata fuerit, non certo constat. Si suspicari licet Dii hi propositi, a Romanis praecipue in honore habiti et singulari ritu culti sunt. Juppiter omnium maximus, in cujus tutela urbs erat et Capitolium. Pallas propter Palladium, Hercules, quod Romulus ei jam sacra constituerat, Mercurius gymnasiorum et rei gymnasticae praeses.

Appositis ~~deinde~~ gentium nominibus in *familiarum numis* proprie sic dictis, illi quoque typi admissi sunt, qui sunt in consularibus, architypi quasi eorum. Isti *primam classem* numorum familiarum effingunt. Complectitur ista classis numos priscis temporibus signatos, usque ad mediam circiter liberae reipublicae aetatem. Caput Palladis galeatum alatum habent, et Dioscuros equites, simulque vocem ROMA. Inscriptum iis est familiae nomen partim in antica, partim in aversa, partim utrimque, ita ut in antica cognomen, in aversa praenomen et nomen gentilicium positum sit. Accedit interdum vel in adversa, vel in aversa, sigillum solitarium non varians, sed constans in omnibus ejusdem generis numis.

Inest iis Denariis quoque nota X, interdum vero et XVI. Illa XVI in numis tantummodo adhibita est gentis Atiliae, Aufidiae, Juliae, Titiniae, Valeriae. *Plinius* dicit, H. N. XXXIII, 3. Denarium, qui antea decem Libris aeris valorem habuisset, durante bello Punico secundo, Q. Fabio Maximo Dictatore, ad valorem XVI Assium redactum esse, qua de causa visi sunt antiquariis Denarii cum nota XVI his temporibus signati. Quod vero non certo constat et in dubium vocari potest, veresimilius autem, *Eckhelio*, D. N. V. Vol. V, pag. 19. docente, monetarii

arbitrio permissum, utramvis notam mallet, et hanc X ad nomen Denarii inditam esse, illam XVI ad ejus valorem adludere. Praesto sunt Denarii Valerii Flacci, vetustioris formae, quorum alii notam X, alii XVI praeferunt, qui tamen, ut typi et fabrica docent, uno eodemque tempore signati sunt.

Audiendus quoque est in hac re *Vitruvius*; III, 1, 6. „Perfectum, inquit, antiqui instituerunt numerum, qui decem dicitur, mathematici vero contra disputantes ea re, perfectum esse dixerunt numerum, qui sex dicitur.“ Addit porro, „nostri primo *decem* fecerunt antiquum numerum, et in *denario denos aeris* constituerunt, et ea re compositio nominis ad hodiernum diem denarium retinet, etiamque pars quarta quod efficiebatur ex duobus assibus et tertio semisso, Sestertium vocitaverunt. Postea autem, quam animadverterunt, utrosque numeros esse perfectos, *sex* et *decem*, utrosque in unum conjecerunt, et fecerunt perfectissimum *decussis sexis* (XVI.). Hujus autem rei auctorem invenerunt pedem: a cubito enim, cum dempti sunt palmi duo, relinquitur pes quatuor palmorum: palmus autem habet quatuor digitos: ita efficitur, uti habeat pes sexdecim digitos et totidem asses aereos denarius.“ Videtur igitur *Vitruvii* tempore, sub Augusto, Denarium sedecim Asses valuisse.

In aliis illorum temporum numis aversa, retento in antica capite Palladis galeato alato, voce ROMA et Denarii nota, bigarum vel quadrigarum signo distincta est. His quoque familiae nomen vel in antica, vel in aversa, vel in utraque numi parte inest. Adsunt etiam sigilla solitaria, quibus accedunt literae alphabeti solitariae. Denarii nota X saepius linea horizontali bissecta ✕ expressa est, quod ut mihi videtur, ad Denarii valorem XVI Assium respicit. Bigae et quadrigae citae seu lentae variant in Diis insistentibus. Repraesentantur inprimis Juppiter aut Victoria, tamen et alia numina se sistunt, Apollo, Sol, Diana, Luna, Mars, Hercules.

Tertius typus est caput Jovis in antica, sine Denarii nota, et Victoria tropaeum coronans in aversa, cum gentis nomine et voce ROMA. Quinariis interdum loco Jovis, Apollinis caput inest.

Quartus typus, ut et in consularibus numis, est caput Vejovis in antica, quadrigae in aversa, addito vero gentis nomine.

Locum huc quoque inveniunt Denarii serrati, typis antiquis praediti, Palladis capite galeato alato et bigis, inscripti in aversa: L. LIC. CN. DOM.

Caput Palladis galeatum alatum et bigae seu quadrigae cum Denarii nota et voce ROMA, sociata in eodem numo, testantur numum antiquum. Seorsim vero sumta, Denariis etiam serius signatis inhaerent. Partim retinetur Palladis caput galeatum alatum in antica, partim bigae

et quadrigae se sistunt in aversa, aliis typis adhibitis in altera numi parte. Interdum porro alii quam Palladis capiti vox ROMA et Denarii nota, vel hoc vel illud tantummodo apponitur. Nonnunquam tamen et totus ille typus antiquus transit in Denarios recentiorum temporum, cum jam alii typi in usu essent. Illum typum, accedentibus vero trigis, tenent Denarii gentis Cipiae, Claudiae, Manliae, Corneliae, et in hac unus ex Sullae Denariis. Eorum inferiorem aetatem auctores docent et picturae stylus declarat. Unde non ad primam numorum familiarum classem pertinent, sed justum suum locum inveniunt in mythologicis numis, qui ad Palladem spectant. Post Sullam autem, vergente republica ad finem saeculi septimi ab urbe condita, hi typi ex moneta familiarum omnino depulsi sunt, aliique admissi.

Accedamus nunc ad *alteram classem* numorum familiarum, quae eos continet numos, qui media aetate et circa finem reipublicae signati sunt. Ut in typis novitas et maxima ac mira varietas, sic etiam in epigraphe mutatio. Nominibus familiarum magistratus dignitas addita est, typis inscriptio ad eos juvandos. Saepius etiam per aream minuta sigilla et literae solitariae, latinae vel graecae aut notae arithmeticae vagantur, quae in numis ejusdem generis non sunt constanter eaedem, ut in nonnullis primae classis numis, sed saepissime variant. Adhibitae sine dubio ad notandam matricum diversitatem, et opus singulis officinis injunctum distinguendum, nihil ad numi explicationem faciunt. Interdum nonnisi sigilla typum illustrant, ut in Denariis Pomponii cum Musis; deinde et addita sunt sigilla, allusionis ad nomen viri monetalis et numi auctoris causa.

Typi loco antiquorum admissi, partim spectant ad mythologiam, et numina exprimunt, quae magistratus, rei monetariae praefecti, observabant, partim ad historiam, aut Romanam, aut rerum privatarum magistratuum, vel initia gentis, vel decora avita. Quapropter haec classis in *duas sectiones* partita est.

Prima sectio, mythologica, continet imagines Deorum, Dearumque communium ac domesticorum, atque Geniorum. Numina varia quidem jam in numis priorum temporum, classi primae inclusis, apparent, in bigis aut quadrigis vecta, sed nonnisi aversam occupant, nunc vero se sistunt capita Deorum, Dearum, Geniorum in antica, et primae sunt partes numi, saepius etiam aversae typus, ex mythis sumtus, fabulas de numinibus narratas atque facta eorum sustinet. Nonnunquam in dubium vocari possit, an caput anticae vel hujus vel illius numinis sit, cum lineamenta, ex quibus illa capita cognoscimus, quandoque minus accurate

expressa; attributa autem ac symbola, quae Diis Geniisque competunt, aliquando pluribus communia sint.

In his definiendis sic versatus sum, ut, quid significarent dubia et non satis certa capita, eruerem partim ex comparatione cum capitibus similibus exploratis, partim ex numi aversa, quae saepissime cohaeret cum antica. Sic dubitatur, sitne caput galeatum in Denariis Satrieni Martis an Palladis. Martis esse sentio. Illud caput enim, comparatum cum Martis imagine in Denario Rustii, illius Dei esse luculenter apparet, minime Palladis, quod etiam magis definitur typo aversae, lupa gradiente, quae non ad Palladem sed ad Martem pertinet, Mars enim et lupa ad Romanae gentis originem spectant. Ceterum nonnulla capita incerta prorsus neglexi, quia numi, propter typos aversae, ad historicos numos referendi erant.

Altera sectio, *historica*, complectitur numos, qui vel historiam Romanam tangunt, vel qui ad memoriam rerum domi forisque praeclare gestarum servandam faciunt. Ut in mythologicis numis Deorum Dearumque neque non Geniorum capita locum tenent, sic in historicis interdum effigies virorum illustrium exprimuntur.

Mythologicis numis immixti sunt huc vel illuc, qui etiam ad historicos vocari possint, historicis contra nonnulli cum numinum capitibus. Quia vero illorum typi in aversis incertae sunt significationis, adversae autem Dei effigiem repraesentant, illos mythologicis potius inserendos esse duxi, ut hos magis historicis addere lubet, cum eorum aversae facta majorum contineant.

In sectione historica plures locum invenire potuissent subdivisiones, continentes aedificia publica, ad ludos spectantes publicos, ad leges a majoribus latas et alia; ita vero haec sectio in permultas partes dissecanda fuisset, quod parum conveniens videbatur. Fieri nullo modo potuit, quin interdum idem Denarius diversis inferretur locis, partim mythologicis, partim historicis numis, et, si prioribus, vel huic vel illi Deorum seriei, prout typorum alius alio spectat, sicuti in alphabetico familiarum numorum ordine idem numus, propter varia virorum monetalium nomina ei adscripta, duabus vel tribus familiis adnumeratur. Deinde vitio verti non debet, quod numis classis secundae, cui insunt numi recentiori aetate signati, nonnulli remotioribus temporibus cusi illati sunt. Hi vero typorum causa, plane diversorum a typis suae aetatis, minime ad primam classem, sed huc ex toto pertinent. Sunt illi Denarius familiae Pompejae cum Palladis capite et Faustulo pastore, qui ad historiam Romanam spectat, et Denarius familiae Veturiae cum capite Virtutis et foedere, inter mythologicos locum suum postulans.

Agmen claudunt *Pondera*, quibus gentium nomina inscripta sunt. Haec ad *tertiam classem* numorum familiarum vocantur. Typus Ponderum semper perpetuus est ac firmus, et idem, qui jam perspicitur in moneta aenea consulari. Illi typo, una cum Ponderis nota et voce ROMA, appositum est familiae nomen. Notandum vero, in familiarum numis exulare Unciam, certe mihi nulla nota est cum familiae nomine. Accedit autem Pondus, quod in consularibus non invenitur, Dodrans. Hoc Pondus novem Uncias continet, notatum S, *Semis*, additis tribus globulis. Dodrantes solum de gente Cassia noti sunt, alter cum Jovis capite, alter Apollinis capite distinctus. Aversa in utroque habet proram navis.

Exstant nonnulla Pondera cum aliis typis quam consuetis, quae etiam Romae signata esse dubitari non potest. Recenti vero aetate cusos hos numos opus docet, quamquam et typus Assis solitus usque ad extrema reipublicae tempora duravit, quod Asses Sexti Pompeji et Eppii testantur. Pondera illa, quae differunt a consuetis, sunt Asses Corneliae et Liciniae familiae cum Victoria in aversa; As Marciae gentis cum Numae Pompilii et Anci Marcii effigie in antica; As gentis Rubriae cum capitibus Mercurii et Herculis conjunctis instar Jani capitis in antica, et templo distylo in aversa; As gentis Terentiae cum lupa gemellos lactante in aversa; Semis et Quadrans de gente Curtia cum clava in aversa.

Exigua illa typorum varietas non patitur aeneam familiarum monetam alio quam consveto ordine, alphabetico nempe, disponi.

Enarratis familiarum numis proprie sic dictis, hos excipit moneta priorum imperatorum sub fine reipublicae signata et nominibus virorum monetalium inscripta. Illi numi ad *quartam classem* numorum familiarum referri possunt, in qua locum invenit moneta Julii Caesaris et qui proxime in imperio successere. Illa numismata consueto familiarum numis illati sunt, magis tamen ad imperatorum numos attinere judico, et in hac re ex toto *Eckhelio* consentio, qui in Doctrina Numorum Veterum, Vol. V, pag. 116, dicit: „Denarios Bruti, Cassii, Sexti Pompeji, triumvirorum M. Antonii et Lepidi, quoniam viri hi inter Julii Caesaris et Augusti tempora summo in republica loco stetere, et numorum, quos nomine suo signavere, argumenta historiam Caesarum eximie illustrant, post numos Caesaris dictatoris collocare explicareque opportunius est visum."

Ceterum et typi illorum numorum non ita sunt comparati, ut classibus antecedentibus inferri possint, sistunt enim maxima ex parte imperatorum effigies, raro habent numinis caput, raro facta majorum illustrant, sed Caesarum historiam tangunt. Pauci de iis tantummodo, qui Deorum aut Geniorum imagines proponunt, familiarum numis inclusi et

ad mythologicos numos relati sunt. Ne vero plane negligantur illi, qui, gentium nominibus distincti, Caesarum memoriam revocant, in quarta classe familiae allegantur et nominantur, quibus a *Morellio* aliisque adduntur; ad finem non omissa moneta triumvirorum monetalium aenea sub Augusto signata.

In numorum explicatione et descriptione *Eckhelium* maxima ex parte secutus sum, optimum interpretem, optimum in hac re doctorem et ductorem. Ad calcem libelli index nominum familiarum appositus est, ut in distributione numorum eorumque designatione quisque numus facilius inveniri possit et intelligi, quem locum teneat in hac vel altera classe, et utris additus sit, mythologicis numis, an historicis.

In duas partes igitur, ut ex antea dictis constat et liquet, vocatur moneta Romanorum liberae reipublicae temporibus signata. Altera complexu tenet numos, qui nullum inscriptum praeferunt gentis nomen, *Consulares* nuncupatos, altera numorum agmen includit, quibus gentium nomina impressa sunt, *Familiarum numi* isthinc dictorum. Nunc unumquemque illorum numorum proferre et recensere in animo est. Dispositio vero talis adhibetur.

Numi Consulares.
Numi Familiarum.
Classis I. Sectio I. Caput Palladis et Dioscuri.
Sectio II. Caput Palladis et bigae vel quadrigae.
Sectio III. Caput Jovis et Victoria tropaeum coronans.
Sectio IV. Caput Vejovis et quadrigae.
Classis II. Sectio I. Numi ad mythologiam spectantes.
Sectio II. Numi cum argumentis historicis.
Classis III. Pondera, seu moneta aenea familiarum.
Classis IV. Moneta priorum imperatorum, gentium Romanarum nominibus distincta.

DISTRIBUTIO

NUMORUM FAMILIARUM

AD

TYPOS ACCOMMODATA.

DISPOSITIO NUMORUM.

NUMI CONSULARES.

MONETA ARGENTEA.

I. *Denarius:* Caput Palladis galeatum alatum, pone X.
Dioscuri equites, infra ROMA.
Similis Denarius serratus.
Quinarius: Cum iisdem typis, pone V.
Sestertius: Cum iisdem typis, pone IIS.

II. *Denarius:* Caput Palladis galeatum alatum, pone X.
Diana seu Selene in citis bigis cervorum, in area lunula.
Similis, sed in aversa: Diana in equorum bigis, in area cancer.
Similis, sed in aversa: Victoria in citis bigis equorum.
In omnibus infra ROMA.

III. *Denarius:* Caput Jovis laureatum.
Victoria tropaeum coronans, inferne ROMA. In area literae solitariae aut sigilla variant.
Quinarius: Caput Apollinis laureatum.
Victoria tropaeum coronans, infra ROMA.
Similis Quinarius cum Jovis capite in antica, apud *Morellium.* Incert. Tab. 4.

IV. *Denarius:* Caput Vejovis laureatum, infra fulmen.
Juppiter fulminator in citis quadrigis.

V. *Denarius:* Caput Palladis galeatum alatum, pone X, infra ROMA.
Mulier galeata clypeis insidens s. hastae innixa, ante eam lupa cum gemellis, superne hinc et illinc avis volans.
Ille numus *restitutus a Trajano.*

MONETA AENEA
SEU
PONDERA.

Decussis: Caput Palladis, pone X.
Prora navis, superne X.
Alius: Victoria in citis bigis, d. elata flagellum, superne X, inferne ROMA.
Prora navis, superne X.
Tripondius: Caput Palladis, pone Ш.
Prora navis, superne III.
Dupondius: Caput Palladis, pone II.
Prora navis, superne II.
As: Caput Jani gemini, in medio I.
Prora navis, juxta I, in area ROMA.
As: Caput Palladis galeatum alatum adversum.
Taurus stans, superne I, inferne ROMA.
Semis: Caput Jovis, juxta S.
Prora navis, superne S.
Quincunx: Caput Apollinis laureatum, pone Γ.
ROMA. Dioscuri in citis equis, infra quinque globuli.
Ille vero numus non commatis est Romani.
Triens: Caput Palladis, juxta quatuor globuli.
Prora navis, juxta quatuor globuli.
Quadrans: Caput Herculis, juxta tres globuli.
Prora navis, juxta tres globuli.
Sextans: Caput Mercurii, juxta duo globuli.
Prora navis, juxta duo globuli.
Uncia: Caput Palladis, juxta globulus.
Prora navis, juxta globulus, in area ROMA.

NUMI FAMILIARUM.

CLASSIS PRIMA. SECTIO PRIMA.

FAMILIAE NOMEN.	Typus: *Antica:* Caput Palladis galeatum alatum, pone X. *Aversa:* Dioscuri equites, infra ROMA. Nomen familiae vel in antica, vel in aversa, vel in utraque numi parte. Interdum sigilla solitaria.
AELIA seu ALLIA.	C. AL. in aversa.
	Similis, P. PAETVS. in aversa.
ANTESTIA.	C. ANTESTI. in antica. Canis currens in area aversae.
	Similis, sed canis currens in adversa, epigraphe in averse.
	Pondera hujus familiae, vid. *Pondera.*
ATILIA.	SARAN. in antica. M. ATIL. in aversa.
	Pondera hujus familiae, vid. *Pondera.*
AUTRONIA.	AVTR. in monogrammate, in aversa.
CALPURNIA.	CN. CALP. in aversa.
COELIA.	L. COIL. in aversa.
CUPIENNIA.	L. CVP. in aversa. In area anticae cornucopiae.
	Semis cum hac inscriptione, vid. *Pondera.*
DOMITIA.	CN. DO. in aversa.
FURIA.	PVR. in aversa.
	As et Triens cum hac inscriptione, vid. *Pondera.*
HORATIA.	COCLES. in antica.
	Restitutus a Trajano.
ITIA.	L. ITI. in aversa.
JULIA.	L. IVLI. in aversa. Loco X in antica XVI.
JUNIA.	L. LIBO. in antica. C. IVNI. C. F. in aversa.
JUNIA.	C. IVNI. C. F. in aversa.
	As et Semis cum C. IVNI, vid. *Pondera.*

JUNIA.	M. IVNI. in aversa. Caput Asini in area anticae.
LUCRETIA.	TRIO. in antica. CN. LVCR. in aversa.
MAENIA.	P. MAE. in aversa.
MARCIA.	LIBO. in antica. Q. MARC. in aversa.
	Pondera cum hac epigraphe, vid. *Pondera*.
MINUCIA.	RVF. in antica. Q. MINV. in aversa.
PINARIA.	NAT. in monogrammate, in aversa.
	Similis *Quinarius*.
	NAT. in Ponderibus, vid. *Pondera*.
PLAUTIA.	C. PLVTI. in aversa.
QUINCTIA.	SX. Q. in aversa.
QUINCTIA.	T. Q. et clypeus Macedonicus in aversa, apex in area anticae.
	T. Q. in Semisse et Quadrante, vid. *Pondera*.
SCRIBONIA.	C. SCR. in aversa.
	Pondera cum hac epigraphe, vid. *Pondera*.
SEMPRONIA.	PITIO. in antica. L. SEMP. in aversa.
	Pondera hujus familiae, vid. *Pondera*.
TERENTIA.	C. TER. LVC. in aversa. In area anticae Victoriola.
VARIA seu VARGUNTEJA.	VAR. in monogrammate in aversa.

CLASSIS PRIMA. SECTIO SECUNDA.

Typus: *Antica:* Caput Palladis galeatum alatum.
Aversa: Bigae aut quadrigae.

Nomen familiae vel in antica vel in aversa, vel in utraque numi parte. ROMA et nota X partim hinc, partim illinc. Nonnunquam sigilla solitaria et literae solitariae.

ABURIA.	GEM. in antica.
	Au. M. ABVRI. Sol in citis quadrigis. ROMA.
ABURIA.	GEM. in antica.
	Au. C. ABVRI. Mars in citis quadrigis. ROMA.
	Quadrantes et Sextans cum iisdem inscriptionibus, vid. *Pondera*.
ACILIA.	BALBVS. ROMA. in antica.
	Au. MV. ACILI. Juppiter in quadrigis, Victoria eas moderante, in area clypeus.
ACILIA.	M. ACILIVS. M. F. in antica.
	Au. ROMA. Vir nudus in lentis quadrigis.
	Semis et Quadrans hujus familiae, vid. *Pondera*.

AFRANIA. S. AFRA. ROMA. in aversa. Victoria in citis bigis.
Pondera cum simili epigraphe, vid. *Pondera.*
Similis cum Jovis capite in antica. *Eckhel.* D. N. V. Vol. V, pag. 133.

ANTESTIA. GRAC. in antica.
Au. L. ANTES. ROMA. Juppiter fulminator in citis quadrigis.

ATILIA. SAR. in aversa. Victoria in citis bigis. ROMA.

ATILIA. C. ATIL. in monogrammate, in aversa. Victoria in citis bigis, ROMA.

ATILIA. Denarii nota XVI. loco X, in antica.
Au. L. ATIL. Victoria in citis bigis. ROMA.
SAR. et ATIL. in Ponderibus, vid. *Pondera.*

AUFIDIA. RVS. pone XVI. in antica.
Au. M. AVF. Juppiter in citis quadrigis. ROMA.

AURELIA. AV. RVF. in aversa. Juppiter in citis quadrigis. ROMA.

AURELIA. COTA. in antica.
Au. M. AVRELI. Hercules in bigis Centaurorum citis. ROMA.
AVR. in Sextante, vid. *Pondera.*

BAEBIA. TAMPIL. in antica.
Au. M. BAEBI. Q. F. Apollo in citis quadrigis. ROMA.
Similis, sed TAMPIA. et M. BAIBI. Alius M. BAEBI. M. F.
M. BAEBI. in Asse, vid. *Pondera.*

CAECILIA. Q. METE. in antica.
Au. Juppiter in lentis quadrigis. ROMA.
Pondera cum ME. et METE. vid. *Pondera.*

CALIDIA. ROMA. in antica.
Au. M. CALID. Q. MET. CN. FL. Victoria in citis bigis.
Similis ad Fabiam gentem vocatur.

CASSIA. Denarii nota X in antica.
In area urnae quid simile.
Au. C. CASSI. Mulier d. pileum ostendens in citis quadrigis. ROMA.
C. CASSI. et CASSIVS. in Ponderibus, neque non Dodrantes gentis Cassiae, vid. *Pondera.*

CLAUDIA. In area anticae Modius.
Au. M. MARC. Victoria in bigis, in area spicae.
Etiam Marciae genti infertur, τὸ MARC. enim *Marcellus* et *Marcus* legi potest, vid. *Marcia.*

CLOULIA. In area anticae ROMA et corolla.
Au. T. CLOVLI. Victoria in citis bigis, infra spicae.

COELIA. P. CALD. in antica.
Au. Mulier in citis bigis, quam advolans Victoria coronat. ROMA.

COELIA. CALD. in aversa. Victoria in citis bigis, infra variae alphabeti literae. ROMA et X deest.

COELIA. C. COIL. CALD. in aversa. Victoria in citis bigis, variae alphabeti literae.

CORNELIA. P. SVLLA. in aversa. Victoria in citis bigis. ROMA.
As cum eadem epigraphe, vid. *Pondera*.

CORNELIA. SISENA. ROMA. in antica.
Au. CN. CORNEL. L. F. Juppiter in citis quadrigis, fulmen in subjectum Gigantem vibrat. Per aream caput Solis, Lunae et duo astra.

CURIATIA. TRIG. in antica.
Au. C. CVR. F. Mulier in citis quadrigis, s. sceptrum, quam stans retro Victoria coronat. ROMA.
C. CVR. F. in Ponderibus, vid. *Pondera*.

CURTIA. Q. CVRT. in antica.
Au. M. SILA. in aversa. Juppiter in citis quadrigis, supra instar litui. ROMA.
Q. CVRTI. in Semissibus et Quadrantibus, vid. *Pondera*.

DOMITIA. ROMA. in antica.
Au. CN. DOMI. Juppiter in lentis quadrigis.
Semis et Quadrans cum eadem inscriptione, vid. *Pondera*.

DOMITIA. In area anticae spica.
Au. CN. DOM. ROMA. Victoria in citis bigis, infra miles leonem hasta petens.

FABIA. LABEO. ROMA. in antica.
Au. Q. FABI. Juppiter in citis quadrigis, infra prora navis.
Similis, apud *Morellium* cum Jovis capite in antica, nisi adsit permutatio typorum, antica ex alio Denario desumta.
Q. FABI. in Quadrante, vid. *Pondera*.

FABIA. C. F. L. R. Q. M. in antica.
Au. Victoria in citis quadrigis. ROMA.
Literae in antica videntur esse nomina triumvirorum monetalium.

FANNIA. ROMA. in antica.
Au. M. FAN. C. F. Victoria in citis quadrigis.

FLAMINIA. ROMA. in antica.
Au. L. FLAMINI. CILO. Victoria in citis bigis.

FLAVIA aut DECIMIA. FLAVS. in antica.
Au. Diana in citis bigis. ROMA.

FULVIA. ROMA. in antica.
Au. CN. FOVL. M. CAL. Q. MET. Victoria in citis bigis.

Similis ad Calidiam gentem vocatur.

FUNDANIA. In area anticae variae alphabeti literae.

Au. C. FVNDAN. Q. Juppiter d. sceptrum s. fulmen, in lentis quadrigis, quas sessor d. ramum tenens, moderatur. ROMA deest.

FURIA. PVR. in antica.

Au. Diana in citis bigis, superne purpura, infra ROMA.

As et Triens cum PVR. vid. *Pondera*.

GELLIA. CN. GEL. in aversa. Vir militaris citis quadrigis invectus, secum mulierem, quam amplectitur, rapit. ROMA.

Semis cum eadem epigraphe, vid. *Pondera*.

JULIA. In area anticae ancora.

Au. SEX. IVLI. CAISAR. Mulier in citis bigis coronatur a Victoria, superne ROMA.

JULIA. In area anticae spica.

Au. L. IVLI. Victoria in citis bigis. ROMA et X abest.

JUNIA. In area anticae variae alphabeti litterae.

Au. D. SILANVS. L. F. Victoria in citis bigis, infra ROMA. superne variae notae arithmeticae.

As cum eadem inscriptione, vid. *Pondera*.

LUCILIA. PV. in antica.

Au. M. LVCILI. RVF. Victoria in citis bigis. ROMA abest.

MAENIA. P. MAE. ANT. in aversa. Victoria in citis quadrigis. ROMA.

Quadrans cum illa epigraphe, vid. *Pondera*.

MAJANIA. C. MAIANI. in aversa. Victoria in citis bigis. ROMA.

As et Quadrans, vid. *Pondera*.

MANLIA. SER. ROMA. in antica.

Au. A. MANL. Q. F. Sol adversus quadrigis invectus, hinc et illinc astrum, superne hinc X. inde lunula.

MARCIA Q. MARC. C. F. L. R. in aversa. Victoria in citis quadrigis. ROMA.

MARCIA. In area anticae modius.

Au. M. MARC. Victoria in citis bigis, infra duae spicae et ROMA. Etiam Claudiae genti infertur.

M. MARCI. M. F. in Quadrante, vid. *Pondera*.

MINUCIA. L. MINVCI. in aversa. Juppiter fulmen vibrans in citis quadrigis. ROMA.

Quadrans cum hac epigraphe, vid. *Pondera*.

NUMITORIA. ROMA. in antica.

Av. C. NVMITORI. Vir in quadrigis triumphalibus coronatur ab advolante Victoria.



Similis in aversa Victoria in citis quadrigis.
Pondera cum illa epigraphe, vid. *Pondera.*

OPEIMIA. In area anticae corona.
Au. L. OPEIMI. Victoria in citis quadrigis. ROMA.

OPEIMIA. In area anticae tripos.
Au. M. OPEIMI. Apollo arcum intendens in citis bigis. ROMA.
OPEI. in Ponderibus, vid. *Pondera.*

PAPIRIA. CARB. in antica.
Au. Juppiter fulminator in citis quadrigis. ROMA.

PAPIRIA. In area anticae ramus.
Au. M. CARBO. Juppiter in citis quadrigis. ROMA.
CARBO. in Semisse et Quadrante, vid. *Pondera.*
TVRD. in Asse et Quadrante, vid. *Pondera.*

PINARIA. NATTA. in aversa. Victoria in citis bigis. ROMA.

PORCIA. LAECA. in antica.
Au. M. PORC. Mulier in citis quadrigis, d. pileum praefert et ab advolante Victoria coronatur. ROMA.

PORCIA. X. in antica.
Au. C. CATO. ROMA. Victoria in citis bigis.

POSTUMIA. In area anticae apex.
Au. L. POST. ALB. Mars tropaeophorus in citis quadrigis. ROMA.

RENIA. C. RENI. in aversa. Mulier in citis hircorum bigis. ROMA.

RUTILIA. FLAC. in antica.
Au. L. RVTILI. Victoria in citis bigis. ROMA et X abest.

SAUFEJA. L. SAVF. in aversa. Victoria in citis bigis. ROMA.
As et Semis cum hac epigraphe, vid. *Pondera.*

SENTIA. ARG. PVB. in antica.
Au. L. SENTI. C. F. Juppiter in citis quadrigis, in area varians litera alphabeti. ROMA et X abest.

SENTIA. L. SATVRN. in aversa. Vir nudus in citis quadrigis, dextra elata cultrum incurvum, in area varians litera alphabeti. ROMA et X abest.

SPURILLIA. A. SPVRI. in aversa. Luna in citis bigis. ROMA.

SULPICIA. P. GALB. in aversa. Mulier in citis bigis coronatur ab advolante Victoria. ROMA deest.
Semis et Quadrans eodem modo inscripti, vid. *Pondera.*

TITINIA. In antica Denarii nota XVI.
Au. C. TITINI. Victoria in citis bigis. ROMA.
M. TITINI. in Ponderibus, vid. *Pondera.*

TREBANIA. L. TREBANI. in aversa. Juppiter fulminator in citis quadrigis. ROMA.
Pondera cum illa epigraphe, vid. *Pondera.*

TULLIA. ROMA. in antica.
Au. M. TVLLI. Victoria in citis quadrigis; in area corona.
Restitutus a Trajano.

VALERIA. In antica nota Denarii modo X. modo XVI.
Au. C. VAL. C. F. FLAC. Victoria in citis bigis. ROMA.
VAL. in Asse et Quadrante, vid. *Pondera.*

VARGUNTEJA. M. VARG. in antica.
Au. Juppiter in lentis quadrigis, d. palmae ramum s. fulmen. ROMA.
Semis et Quadrans sic inscripti, vid. *Pondera.*

Huc etiam locum inveniunt *Denarii serrati*, iisdem utrinque typis antiquis, Palladis imagine in antica, bigis in aversa, quibus insistit Mars.

AURELIA. Antica: M. AVRELI. ROMA. et X.
Aversa: SAVRI. L. LIC. CN. DOM.

COSCONIA. Antica: L. COSCO. M. F. juxta X.
Aversa: L. LIC. CN. DOM.

DOMITIA et PORCIA. Antica: C. MALLE. C. F. pone X.
Aversa: Eadem epigraphe.

LICINIA et PORCIA. Antica: L. PORCI. LICI. pone X.
Aversa. Eadem epigraphe.

POMPONIA. Antica: L. POMPONI. CN. F. pone X.
Aversa: Eadem epigraphe.

CLASSIS PRIMA. SECTIO TERTIA.

Typus: *Antica:* Caput Jovis aut Apollinis.
Aversa: Victoria tropaeum coronans.

BAEBIA. Ant. Caput Jovis. TAMP. in monogrammate. In aversa infra ROMA.
Denarius.
As et Semis cum eadem inscriptione, vid. *Pondera.*

CORNELIA. Ant. Caput Jovis.
Au. CN. LENT. *Quinarius.*
Pondera eodem modo inscripta, vid. *Pondera.*

CLOULIA. Ant. Caput Jovis.
Au. T. CLOVLI. infra Q.
Quinarius.

EGNATULEJA. Ant. Caput Apollinis. C. EGNATVLEI. C. F. infra Q.
Au. in area Q. infra ROMA.
Quinarius.

FUNDANIA. Ant. Caput Jovis.
Av. C. FVNDA. Q.
Quinarius.

PINARIA. Ant. Caput Jovis.
Av. NAT. in monogrammate. ROMA.
Denarius.

TITURIA. Ant. Caput Jovis.
Av. F. SABIN. Q.
In antica et aversa variae alphabeti literae.
Quinarius.

VIBIA. Ant. Caput Jovis.
Av. VIB. in monogrammate. ROMA.

CLASSIS PRIMA. SECTIO QUARTA.

Typus: *Antica:* Caput Vejovis.
Aversa: Quadrigae.

CARVILIA. Ant. Caput Vejovis, infra fulmen.
Av. CAR. OGVL. VER. Juppiter in citis quadrigis.
As cum illa inscriptione, vid. *Pondera.*

OGULNIA. Eadem adversa.
Av. OGVL. VER. CAR. Idem typus.
Asses cum simili epigraphe, vid. *Pondera.*
Similis, sed inscriptus Q. OGVL. VER. CAR.
Asses sic inscripti, vid. *Pondera.*

VERGINIA aut VERGILIA. Eadem antica.
Av. VER. CAR. OGVL. Idem typus.
Asses eodem modo inscripti, vid. *Pondera.*

VIBIA. Ant. PANSA. Caput Vejovis, in area corolla et alia sigilla.
Av. C. VIBIVS. C. F. Pallas in citis quadrigis, vecta ad dextram.
Similis, sed quadrigae sinistorsum.

VIBIA. Ant. PANSA. Pallas in quadrigis vecta laevam versus.
Av. C. VIBIVS. C. F. Pallas in quadrigis dextrorsum.
C. VIBI. PANSA et C. PANSA. in Assibus, vid. *Pondera.*

Quamquam alter Vibiorum Denarius Vejovis imagine caret, et Pallade in quadrigis solum et utrinque insignitus est, tamen omnino et jure hunc locum postulat, cum ille typus is ipse sit, qu aversam prioris Denarii occupat.

CLASSIS SECUNDA. SECTIO PRIMA.

NUMI AD MYTHOLOGIAM SPECTANTES.

Romam primo sacra e regionibus Italiae mediae accita erant, ex Etruria, de Sabinis et Latinis. Iis in locis Deorum cultus sic constitutus erat, ut partim patrius esset, domesticus et locis proprius, partim cum antiquissimis Graecorum mythis permixtus. Haec omnia pene a Romanis accepta permulta saecula se tenuerunt. De modico numero Deorum Romae priscis temporibus loquitur *Juvenalis*, Sat. 13, v. 40 — 53. Tandem vero, inde ab extrema liberae reipublicae aetate, peregrina sacra urbem irrepserunt.

Romulus, ut sermo erat apud veteres, jam enisus fuit, ut Deorum cultum arctissime conjungeret cum civitate, quod praecipue institutione augurum persecutus est, quos excepit ex Etruria. Sacra vero alia, teste *Livio* I, 7, Diis fecit Albano ritu Herculi Graeco, ut ab Evandro instituta erant. Sed, quae de Evandro narratione exponuntur, fabulosa magis esse videntur, quam vera.

Imprimis Numa mente tota incubuit, ut populo sacra daret, cuique Deorum suos sacerdotes praeficeret, ratus, multitudinem ferocem, imperitam ac rudem non aliter mitigari posse, quam Deorum metu. Quod tam feliciter processit, ut populum a vi et armis avocaret, omniumque pectora pietate imbueret. Sic, quae verba sunt *Livii* I, 21., ut ipsi se homines in regis, velut unici exempli, mores formarent, sic etiam finitimi populi, qui antea castra, non urbem, positam in medio ad sollicitandam omnium pacem crediderant, in eam verecundiam adducti sunt, ut civitatem totam in cultum versam Deorum, violari ducerent nefas.

Unde et sequentibus temporibus et semper civitas Romana, adfirmante *Valerio Maximo*, Lib. I. cap. 1, 9, omnia post religionem ponenda duxit, etiam in quibus summae majestatis conspici decus voluit, quapropter non dubitaverunt Romani, sacris imperia servire.

Procedente inde tempore sensim sensimque plura sacra peregrina urbem intrarunt. Peregrina autem sacra, ut *Festus*, Lib. 14, comprobat,

appellabantur, quae aut evocatis Diis in oppugnandis urbibus, Romam sunt conlata, aut quae ob quasdam religiones, aut pacem sint petita, ut ex Phrygia Matris Magnae, ex Graecia Cereris, Epidauro Aesculapii, quae coluntur eodem more, a quibus sunt accepta. Quod ad Deos ex civitatibus victis accitos pertinet, persuasum fuit Romanis, facilius de urbibus ac populis victoriam reportari posse, si Deos tutelares evocarent, eosque per sacerdotem, coram toto exercitu, formula certa, quae est apud *Macrobium* Saturnal. III, 9, invitarent, ut Romam migrarent, habituri augustiora templa, ampliora sacrificia, magis solennes cultus. Numina a Graecis aliisque externis nationibus petita saepius certa occasione in urbem accita sunt, et illa Romani plerumque Graeco more coluerunt.

Liberae reipublicae temporibus domestici praecipue Dii, et non nisi patrio more culti sunt. Interdum quidem et illis saeculis externa religio intravit urbem et superstitiones exortae sunt; tamen non nisi privatus Deorum peregrinorum cultus permissus est. Publicus semper a senatu coercitus est; et senatus consultis, edictum, ne quis in publico sacrove loco novo aut externo ritu sacrificaret. De qua re *Livius* variis locis, IV, 30. XXV, 1. XXXIX, 16.

Paullatim vero plura externa sacra in urbem accersita sunt, inprimis cum urbes Graecorum in Romanorum potestatem venirent, sic, ut sub finem reipublicae a Graecis omnis pene religio accepta esset. Conjuncti sunt cum patriis Diis et mythis Graecorum mythi, qui vero destituti ista aetate prisca simplicitate, variis dogmatibus, dictis, inventis philosophorum, historicorum, poetarum, aucti atque exornati Romam venerunt.

Deorum nunc numerus extra modum auctus est. Omnes vero Dii illi non fuerunt pari honore et auctoritate, in certos ordines distributi. Alii majorum gentium appellati sunt, quod praecipuas partes in rerum administratione haberent, minorum gentium alii. Distinctio sumta erat de patriciis, quorum ii majorum gentium vocabantur, qui a Romulo lecti erant, minorum gentium, quos Tarquinius Priscus in senatum legerat. *Varro* Romanorum Deos in certos et incertos distribuit. *Certi* ei sunt publici, quibus Romani publicas aedes aedificaverunt, quosque pluribus signis ornatos notaverunt, *incerti*, quorum certa ratio reddi non potest, qui sint. *Cicero*, de Legibus, II, 8, tres Deorum ordines recenset, unum eorum, qui, coelestes semper habiti, majorum gentium vocantur, alterum eorum, qui in coelum ob merita vocati Semidei et Dii Indigetes appellantur, tertium eorum, propter quos datur hominibus adscensus in coelum.

Majorum gentium Dii erant duodecim, Consentes, et octo selecti. Consentes sunt Juppiter, Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus,

Mars, Mercurius, Neptuuus, Vulcanus, Apollo. Selecti sunt Janus, Saturnus, Rhea, Genius, Pluto, Bacchus, Sol, Luna. Minorum gentium sunt, vel Indigetes, Hercules, Castor, Pollux, Aesculapius, Quirinus aliique, vel Semnones, Pan, Faunus, Sylvanus, Vertumnus, Pales, Flora, Terminus et alii varii, vel Genii, qui sunt et regionum, aut populorum, aut urbium, et Virtutes, ut Bonus Eventus, Clementia, Concordia, Virtus, Honor, Lares, Salus, Pietas, Libertas et alii, nec non Vitia, ut Pallor et Pavor.

Quod ad Genios pertinet, observandum, Graecorum Daemones fuisse hominum comites, qui eorum curae demandati erant, Romanorum vero Genios hominum Deos tutelares atque eorum consultores. Deinde Romani etiam loco cuique suum adesse Genium putabant, cujus erat, locum istum assidue tueri. Sic et Virtutes in Geniorum numerum retulerunt, Genium autem illum, quem Diis Selectis adjunxerunt, Naturae Deum observarunt, qui omnium rerum gignendarum vim haberet.

Multae aliae naturae, inquit *Cicero*, de Natura Deorum, II, 23, Deorum ex magnis beneficiis eorum non sine causa, et a Graeciae sapientibus, et a majoribus nostris constitutae nominataeque sunt. Quidquid enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine divina bonitate erga homines arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat a Deo natum, nomine ipsius Dei nuncupabant: ut cum fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum. Tum autem res ipsa, in qua vis inest major aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur Deus, ut Fides, ut Mens: quas in Capitolio dedicatas videmus proxime a M. Aemilio Scauro. Vides Virtutis templum, vides Honoris a M. Marcello renovatum. Quid Opis? Quid Salutis? quid Concordiae? Libertatis? Victoriae? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine Deo regi non posset, ipsa res Deorum nomen obtinuit."

Varro, in libro de re rustica I, 1. singulares nominat et invocat duodecim Consentes, non illos urbanos, qui ab Jove adhibebantur in consilium, sed eos, qui praeerant agriculturae et agricolarum duces erant. Primum inquit, invoco, qui omnes fructus agriculturae coelo et terra continent: Jovem et Tellurem; Secundo Solem et Lunam, quorum tempora observantur, cum quaedam seruntur et conduntur; Tertio Cererem et Liberum, quod horum fructus maxime necessarii ad victum; Quarto Robigum et Floram, quibus propitiis neque robigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent; idem Minervam et Venerem, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum; nec non etiam precor Lympham ac Bonum Eventum, quoniam sine aqua omnis arida ac misera agricultura, sine successu ac bono eventu frustratio est, non cultura.

Omnia pene haec numina, quae a Romanis culta et praecipuo in honore habita sunt, numismatibus nostris insunt. Itaque numi familiarum, quorum ordinem nunc persequimur, ad illustrandam mythologiam Romanam magnum habere momentum, neminem fugere potest. Deinde et imagines et species Deorum Dearumque, atque Geniorum, in illis numis effictae, multum utilitatis afferre possunt ad veram adumbrationem et designationem numinum, ad explicandas quidem species eorum alibi exhibitas.

In medium igitur nunc proferuntur numi ad mythologiam spectantes, quibus de mythis et de cultu numinum apud Romanos pauca praeponuntur.

N U M I N A.

SATURNUS.

Cronos Graecis fuit Urani et Geae filius, temporis cursus symbolum, a Latinis Saturnus nuncupatus est, a satu, ut *Macrobius*, Saturnal. I, 10, refert. Acceptus est symbolum beatae atque cultioris vitae, quae hominibus ex agricultura, et inde societate inter eos inita, orta est. Fertur enim Saturnus, ejectus a Jove regno, in Italia peregrinatus, incolas disciplinam colendi ruris edocuisse. Terra, quam intravit, Saturnia primo appellata, Latii quoque nomen accepit, quod Saturnus ibi latuisset tutus. *Aurelius Victor*, de origine gentis Romanae, cap. I et III. Diversae sine dubio priscis temporibus Croni et Saturni fabulae, deinde conjunctae sunt, cum Graecorum mythus Italiam intraret, ita ut obscurae narrationes de prisco Latii rege, Saturno, confunderentur cum Apologo de Crono.

Saturnus semper, et in nostris numis, senex repraesentatur, et ei falx attribuitur; apud Graecos ea de causa, quia a matre Gaca falcem, priscis temporibus hastae loco in usu, acceperat, ut patri genitalia exsecaret; apud Latinos, quia inventor et praeses agriculturae et frugum colebatur.

In sculpturis interdum velato capite proponitur, etiam in nonnullis numis, ut in Denario Valeriani — *Eckhel*, D. N. V. Vol. VII, pag. 381 in numis Alexandrinis Antonini Pii — *Eckhel*, D. N. V. Vol. VII p. 382 — et in numo Nomi Coptae — *Eckhel*, D. N. V. Vol. IV. pag. 105. — In nostris numis semper nudo capite.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
NERIA et CORNELIA.	Caput Saturni, prominente retro harpa. NERI. Q. VRB. L. LENT. C. MARC. COS. Aquila legionaria inter duo signa militaria, quorum uni inscriptum H. alteri P. Incerta est explicatio illarum literarum. Eadem aversa est in Denario Valerii Flacci cum Protome Victoriae, vid. *Victoria.*
NONIA.	Caput Saturni prominente retro harpa. SVFENAS. S. C. SEX. NONI. PR. L. V. P. F. Mulier d. hastam s. gladiolum clypeis insidens, coronatur a Victoria retro stante. Legitur epigraphe aversae: PRimus, aut PRaetor Ludos Votivos Publicos Fecit.
CALPURNIA.	Caput Saturni, adstituta falce. PISO. CAEPIO. Q. AD. FRVmentum EMVndum EX. S. C. Duo viri togati sedentes, hinc et illinc spicae.
MEMMIA.	Caput Saturni, pone falx serrata. EX. S. C. L. C. MEMIES. L. F. GAL. Mulier in lentis bigis vecta s. sceptrum, cui advolans Victoria coronam offert.
MEMMIA.	Caput Saturni, pone falx serrata. ROMA. In area variae literae alphabeti. L. MEMMI. GAL. Idem typus. *Serratus.*

J A N U S.

Janus fuit Latinorum Deus antiquissimus et summus, cui in omnibus sacris primum locum detulerunt, unde et Pater nuncupatus est. *Aurelius Victor*, de Origine Gentis Rom. Cap. III, 5, 7 Jano sacrorum institutionem adscribit, qui primus in Italia Diis templa vovit. *Macrobius*, Saturnal. I, 9. *Aurelius Victor*, l. c. Imprimis cultus est Deus belli et pacis, qui ineundis foederibus praeest, praeses anni et temporis. *Plinius* H. N. XXXIV, 7. Observatus etiam est janitor coeli, qui coeli fores aperit, ex quibus sol et luna, dies et anni procedant. Quare nomen nomen accepit Matutinus Pater, *Horatius*, Sat. II, 6, 20, capitique ejus interdum lunula imponitur, ut in Assibus C. Cassii et A. Oppii Salinatoris.

Effingitur Janus consuete bifrons, capite geminato. Interdum vero et quadrifrons, sic formatus, ut *Macrobius* refert, Saturnal. I, 9, quasi universa climata complexus. Captis Faliscis, narrat *Servius* ad Aeneid. VIII, v. 607, conf. ad XII, v. 198, inventum esse simulacrum Jani cum

quatuor frontibus. In numo Hadriani aeneo secundae magnitudinis triceps proponitur Janus, quo vero sine dubitatione quadrifrons indicatur, quarta enim frons aversa in numo effingi non potuit. Antica hujus numi caput imperatoris sistit, cum epigraphe HADRIANVS. AVGVSTVS, aversa, inscripta COS. III. S., C. habet Janum tricipitem, stantem seminudum, dextra hastam tenentem, sinistra veste involuta.

In nostris numis semper bifrons adest, plerumque liberaliter barbatus, ac corona laurea cinctus. Disceptatur cur bifrons formetur. Variae sunt opiniones, quas longum esset afferre omnes. Inter omnes ea maxime placet sententia, in duplici imagine et Janum et Saturnum simul expressum esse, comites in regno atque in eo, quod mores ac vitam Latii incolarum emendaverint.

In Denariis Fonteji non barbatus, sed lanugine tantum vestitus, proponitur. Dubitari igitur possit, num caput in illis numis Jani imago sit, cum alias, ut in Denariis gentis Furiae, in Assibus Romanis, in variis numismatibus imperatorum, Janus semper barbatus occurrat. *Eckhelius*, D. N. V. Vol. V, pag. 214, negat Janum, sed Penates, aut Dioscuros, in aliis Fontejorum Denariis obvios, esse sentit. Quod vero minime videtur, quia lanugo Dioscuris, juvenibus, nullo modo convenit. Janum a Romanis ex altera parte etiam imberbem pictum esse, docet numus Gallieni ~~aureus. apud~~ *Pellerinum* (Mel. I. pag. 106. Tab. V, pag. 9.), in cujus aversa Deus sistitur stans, uno vultu barbato, altero imberbi, quem Janum vere esse, epigraphe docet, JANO. PATRI. Sed et priscis temporibus in Italiae regionibus Janum interdum imberbem effictum esse, testantur numi in Campania signati. Duplex nempe Denarius argenteus, cum Jove in citis quadrigis in aversa, et aurei Quinarii, quorum typus aversae ad foedus aliquod respicit, omnes in antica caput geminum imberbe habent, quod Jani esse dubitari non potest. Loquitur de iis numis etiam *Eckhelius* D. N. V. Vol. V, pag. 45, qui et ipse Janum esse explicat.

Inprimis notandi sunt aenei Volaterrae Etruriae, in quibus Janus comparet, jam barbato utroque vultu, jam utroque nudo, jam altero barbato, altero nudo. Janum etiam habent barbatum utroque vultu numi Catanae Siciliae, cultu Dei e Latio vocato, et Panormi Siciliae, illi a Romanis signati. Numi Amphipolis et Thessalonicae Macedoniae cum Jani capite gemino barbato sine dubio cusi sunt, cum Macedonia Romanis pareret.

Templum Jani in numis Neronis obvium.

FAMILIAE NOMEN.	NUMI.
FURIA.	Caput Jani barbatum. M. FOVRI. L. F. PHILI. Pallas s. Roma galeata stans, s. hastam, tropaeum coronat. Similis aureus. *Eckhel*, D. N. V. Vol. V, pag. 222.
FONTEJA.	Caput Jani lanugine vestitum, in area litterae solitariae et X. C. FONT. Navis cum remigantibus et gubernatore, infra ROMA. Quadrans cum hac epigraphe, vid. *Pondera*.

CYBELE SEU RHEA.

Dea illa symbolum erat naturae, mater omnium rerum, quae terra procreantur, ipsa porro terra, seu Gaea. *Macrobius*, Saturnal. I, 21. Inde et Magna Mater dicta est, apud Romanos vero Bona Dea. Inditum ei quoque erat Nomen Matris Deorum, quia, uxor Saturni, primos et et summos Deorum progenuerit.

Romam accita est Dea tempore belli Punici secundi, A. C. 507. et cum Ope conjuncta, cui erat simillima. Ops enim a Latinis antiquissimis temporibus Saturni uxor putata est, atque agriculturae symbolum fuit, ac ipsa terra, cujus ope humanae vitae alimenta quaerantur. *Macrobius*, Saturnal. I. 10. 12. Arcessita est Pessinunte monitu librorum Sybillinorum et jussu oraculi Delphici. Missi sunt legati ad Attalum, Pergami regem, qui ab eo Deae statuam, quae lapis erat quadratus, peterent. Multis solennitatibus Romam adducta est, *Livius*, XXIX, 10, 11, 14. narraturque, Deam ipsam hunc locationem postulasse. *Ovidius* Fast. IV, 269. Tunc templum Deae exstructum est in Palatino monte.

Effingitur Cybele matronali habitu, capite turrito, seu corona turrita cincto, quia prima urbium conditrix habita est. Sic etiam in nostris numis invenitur. Interdum velata est, ut in Denariis Fabii, ad indicandam occultam atque incognitam naturae conditionem. Leones comites habet, quod feritas per illam molita dicitur. Equitans igitur in leone effingitur, aut sellae insidens adstantibus leonibus, aut leonum bigis vecta, ut in Denario Volteji, et aureo Cestii.

Cybele frequens est typus numorum Cyzici Mysiae et Metropolis Joniae.

FAMILIAE NOMEN.	NUMI.
FABIA.	Caput Cybeles velatum turritum, pone EX. A. PV. C. FABI. C. F. Victoria in citis bigis, infra avis, et varians litera alphabeti latini.

FABIA.	Caput Cybeles velatum, pone varians litera alphabeti jam Latini, jam Graeci. C. FABI. C. F. Victoria in citis bigis, infra ales similis. As cum hac inscriptione, vid. *Pondera*.
FURIA.	Caput Cybeles turritum, pone pes humanus. AED. CVR. F. FOVRIVS. CRASSIPES. Sella curulis.
PLAETORIA.	Caput Cybeles turritum, ante quod globus. CESTIANVS. M. PLAETORIVS. AED. CVR. Sella curulis, juxta varia sigilla.
PLAUTIA.	Caput Cybeles turritum. A. PLAVTIVS. AED. CVR. S. C. BACCHIVS. IVDAEVS. Bachius genu flexus s. camelum freno retinet d. oleae ramum offert. Vid. etiam *numi historici*.
VOLTEJA.	Cybele leonum bigis vecta. M. VOLTEI. M. F. superne notae arithmeticae graecae. Caput Palladis, in area varia minuta sigilla. Vid. et *Pallas*.
CESTIA.	Cybele capite turrito in leonum bigis, sinistro tympano innixa. S. C. C. NORBANVS. L. CESTIVS. PR. Caput Veneris. *Aureus*. Vid. et *Venus*.

JUPPITER.

Juppiter, Saturni et Rheae filius, Graecis atque Romanis summus omnium Deorum observatus est, rex universi, Deorum hominumque pater, cujus providentia mundus regitur. A Romanis jam civitatis initio cultus est. Romulus ex veterum sententia, Jovi Statori atque Feretrio templa dedicavit. Sic ut apud Graecos prae caeteris Juppiter Olympius nominis claritate florebat, apud Romanos Capitolinus maxime veneratus est, in cujus templum in Capitolio, primo votum a Tarquinio Prisco, summam operam et maximos sumptus impendebant Romani per omnia tempora.

Juppiter pictus sistitur vir gravi ac liberali vultu atque prolixe barbatus. Tribuitur ei fulmen, quo usus est pro telis. Aquila, praecipua inter aves, ei erat sacra, quare et Romani, quorum civitas potissimum in Jovis tutela fuit, aquilam sibi signum militare fecerunt.

Haec omnia habet *Juppiter Capitolinus*. In nostris numis occurrit in Denariis Petillii et Volteji, in quibus aversae templum, ad Jovis templum in Capitolio respicit. Loco imaginis Dei in altero Petillii Denario aquila expansis alis fulmini insistens expressa est. Caput Jovis Capitolini quoque se sistit in Denariis Antonii Balbi, Cornelii, Lentuli, Scipionis Asiageni,

Procilii, Valerii Aciscoli, Pomponii Rufi. Juppiter Capitolinus Graecis etiam numis inest, Antiochiae ad Maeandrum Cariae cusis, sed tantummodo imperatoriis Marci Antonini et Antonini Pii.

In Rubrii Denario Jovis capiti additum est sceptrum, sistitur enim in hoc numo Juppiter, rex universi, Deorum hominumque princeps ac dominus.

Ammon in Africa imprimis cultus, ab Aegyptiis fingebatur vir cum capite arietino. A Graecis cornua arietina servata et humano capiti imposita sunt, symbolum potestatis ac imperii, quare et Jovi data, qui nunc Juppiter Ammon appellabatur. Jovis Ammonis caput in Denariis suis affert Cornuficius.

Juppiter Ammon typus monetae Cyrenaicae proprius est, cum in hac regione insignior coleretur. Sed et in nonnullis Graeciae numis invenitur ejus imago, Aphytis et Cassandreae Macedoniae, Mytilenes Lesbi, Pitanes Mysiae, Cataneae Siciliae et Metaponti, Tenus, Cycladum unius. In numis Cyrenaicis, Metaponti, Tenus insulae pingitur cornutus quidem sed partim barbatus, partim imberbis. Illo semper notatur Ammon, hoc respicit ad filium ejus, Bacchum.

Juppiter Anxur seu *Axur* vocatus est Deus ab urbe Volscorum eodem nomine praedita, deinde Terracina dicta, ubi, sicut in Latii regionibus, priscis jam temporibus cultus est. Semper juvenis formatur, capite imberbi et radiato, ut in Denario Vibii Pansae.

Apud Graecos Juppiter etiam forma juvenili observabatur, qui *Hellenii* nomen accepit. Et in nostris numis non abest. Caput Jovis Hellenii sistitur in Denario C. Cassii Longini, quod Jovis, non Apollinis esse, ex sceptro addito et ex aquila in numi aversa, luculenter apparet. Nullum dubium est, caput juvenile promissis crinibus in Cornelice gentis Denario, L. Lentuli, etiam Hellenii esse.

Juppiter a Graecis *Eleutherius*, liberator seu custos libertatis, observatus, in L. Lentuli et C. Marcelli Denariis effictus est, stans, nudus, fulmen et aquilam tenens.

Juppiter Hellenius et Eleutherius quoque se sistunt in numis Syracusanis, quorum epigraphe: *ΔΙΟΣ ΕΛΛΕΝΙΟΥ* et *ΖΕΥΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ*, alter juvenili forma, alter barbatus, illos esse declarat.

Inter numos familiarum cum antiquis typis, Palladis capite et quadrigis, multi sunt, qui Jovem in quadrigis praeferunt. *Jovem fulminatorem*, dextra fulmen jam tenentem, jam vibrantem, habent Denarii gentis Aciliae, Antestiae, Aureliae, Curtiae, Fabiae, Minuciae, Papiriae, Sentiae, Trebaniae. In aliis, ut in Caeciliorum, Domitiorum, Varguntejorum, imprimis Fundaniorum Denariis, *Juppiter triumphator* sistitur.

Juppiter *clarus Giganteo triumpho* occurrit in Denario Cornelii Sisennae, ubi effingitur in citis quadrigis, fulmen vibrans in subjectum Gigantem.

De *Jovi Terminali* vid. *Terminus.*

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
PETILLIA.	Caput Jovis Capitolini nudum. CAPITOLINVS. PETILLIVS. Templum Jovis Capitolini.
PETILLIA.	Aquila expansis alis fulmini insistens. PETILLIVS. CAPITOLINVS. Templum Jovis Capitolini. In nonnullis numis hinc S. illino F.
VOLTEJA.	Caput Jovis Capitolini. M. VOLTEI. M. F. Templum Jovis Capitolini quatuor columnarum, in cujus tympano fulmen.
POMPONIA.	Caput Jovis Capitolini. RVFVS. S. C. Q. POMPONI. Aquila dextra pede lauream stringens, in area serpens. scorpius. aut aliud sigillum.
CORNELIA.	Caput Jovis Capitolini laureatum. CN. LENTVLVS. Aquila fulmini insistens. *Aureus.*
CORNELIA.	Caput Jovis Capitolini, in area varians alphabeti litera. L. SCIP. ASIAG. Juppiter in citis quadrigis d. fulmen fibrat. s. sceptrum. *Serratus.*
VOTLEJA.	Caput Jovis Capitolini, in area varians litera alphabeti. L. VOL. L. F. STAB. Europa tauro vecta, pone fulmen, infra hederae folium. *Serratus.*
ANTONIA.	Caput Jovis Capitolini laureatum. Literae solitariae vel in antica, vel in aversa. Q. ANTO. BALB. PR. Victoria in citis quadrigis, d. elata lauream s. palmae ramum. *Serratus.*
VALERIA.	Caput Jovis Capitolini, pone malleus in cuspidem desinens, omnia intra lauream. ACISCOLVS. L. VALERIVS. Mulier in duas piscium caudas desinens.
PROCILIA.	Caput Jovis Capitolini laureatum, juxta S. C. L. PROCILI. F. Juno Sispita, d. hastam vibrat, s. scutum praetendit, pro pedibus serpens. Vid. etiam *Juno.*

RUBRIA. Caput Jovis laureatum, pone sceptrum. DOSSEN.
L. RVBRI. Lentae quadrigae ex quibus superne avolat Victoria.
Restitutus a Trajano.

CORNUFICIA. Caput Jovis Ammonis.
Q. CORNVFICI. AVGVR. IMP. Vir velatus et togatus stans d. lituum, coronatur ab adstante Junone Sispita s. clypeum ancili similem, cui avicula insidet, tenente.
Similis aureus.

CASSIA. Caput imberbe Jovis Hellenii, pone sceptrum.
C· CASSIVS. Aquila fulmine insistens, hinc lituus, illinc praefericulum.

CORNELIA. Caput imberbe Jovis Hellenii. L. LENT. C. MARC. COS.
Juppiter Eleutherius nudus stans, d. fulmen, s. aquilam, in area ara, astrum et Q.

CORNELIA. Juppiter Eleutherius nudus stans d. fulmen, s. aquilam, in area culter incurvus. LENT. MAR. COS.
Triquetra inserto Medusae capite et spicis.

VIBIA. Juppiter Axur, capite imberbi et radiato, semi nudus sedens d. pateram s. hastam. C. VIBIVS. C. F. C. N. IOVIS. AXVR.
PANSA. Persona Fauni.
Etiam ad *Bacchum* pertinet.

Praefert *Morellius* in familia Sestia Quinarium: Caput Jovis, pone A. — L. SESTI. PRO. Q. Mensa cum hasta. — Iu illo numo vero typum permutatio adesse videtur, ut *Eckhelius*, D. N. V. Vol. V, 312, notat, antica ex similibus Quinariis Titurii Sabini vitio capta.

VEJUPPITER.

Vejuppiter seu Vejovis est Deus Romanus ex Jove et Apolline compositus, unde et Apollo Vejovis dictus. Inest ei, ut *Gellius* Noct. Att. V, 12. refert, vis nocendi, cum Romani contra Jovem, qui juvandi potestatem habet, Dijovem appellarent. Aedes Vejovis, *Gellio* teste, Romae fuit inter arcem et Capitolium, et simulacrum, stans in aede, sagittas tenebat, ad nocendum videlicet paratus.

Simili cultu, juvenili aspectu, sagittas vibrans, proponitur in Denariis Caesii et Licinii Macri. In Manii Fonteji Denario imagini fulmen subjectum est. Pari modo Vejuppiter proponitur in Denariis primae classis, in sectione quarta allatis, sic ut in similibus consularibus. Hircus in aversa

Denarii Fonteji ad Deum pertinet, quippe immolebatur ei capra, ejusque animalis figmentum, ut Gellius refert, Romae in Vejovis templo juxta simulacrum Dei positum erat.

Marcianus Capella hunc Deum Plutonem censuit. Cum vero reipublicae temporibus Romani Apollini non eo modo quam Jovi aliisque Diis sacra facerent, sed tantum in rebus dubiis oraculum Delphicum adirent, non ab re erit suspicari, Vejovem Apollinis loco quodammodo observatum esse, cum multa, praecipue juvenilis adspectus et sagittae respondeant Apollini.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
CAESIA.	Protome Vejovis, adverso tergo, d. sagittam vibrat, pone AP. in monogrammate. L. CAESI. Lares sedentes. Vid. et *Lares*.
LICINIA.	Protome Vejovis obverso tergo, d. telum vibrat. C. LICINIVS. C. F. MACER. Pallas in citis quadrigis d. hastam intendit.
FONTEJA.	Caput Vejovis, infra fulmen, juxta AP. in monogrammate. MAN. FONTEI. C. F. Puer alatus in hirco equitans, in area duo pilei Dioscurorum, infra thyrsus, omnia intra coronam myrtheam. Similis, sed sine AP. Similis, sed in area anticae: EX. AP. MAN. FONT. in Asse, vid. *Pondera*.

NEPTUNUS.

Neptunus maris rex observatus est et a Cyclopibus ad debellandos Titanos tridente donatus, quod sceptrum ejus fuit. Diis enim sceptrum proprium ad indicandam summam potestatem. Saepius hoc sceptrum, scipio longus et albus, in imo ornatus, Jovis sceptrum cum aquila, Neptuni fuscina, ex quo tridens ortus, ut in illo aetheris, in hoc maris imperium ostenderetur. Sic et sceptrum Bacchi cono pineo coronatur, ex quo thyrsus profectus est.

Pingitur Neptunus vultu senili ac severo. Imagini semper additur tridens, quo fluctus impellit Deus, et procellas atque tempestates excitat. Hoc etiam in nostris numis. Delphinus, in quo Amor equitat, aversae

typus in Denario Lucretii, respicit; sine dubio, ad fabulam de Neptuno et Amphitrite. Cum enim Neptunus Amphitriten uxorem ducere vellet, illa, ut hoc evitaret, effugit ad Atlantem. Delphinus vero missus a Neptuno, ut eam quaereret, deprehendit eam, Deoque adduxit, qui Oceani reginam consecrabat.

Protomen Deae marinae in antica Denarii Crepereji, illam Neptuni conjugem esse, verosimile est, nexum enim habet cum parte hujus numi aversa, Neptuno in bigis hyppocamporum. In aureo Domitii Neptuni templum se sistit.

Neptunus, *Ποσειδων*, in moneta Graecorum adhibitus est vel propter allusonem ad urbis nomen, ut in Posidoniae numis, et in Boeoticis, (Boeotus enim Neptuni et Arnes filius, populo nomen dedit); vel, si suspicari licet, propter mare vicinum, ut in Autonomis coloniae Corinthi et in insularum numis, ut Teni et Nisyri.

Et ille typus, Neptunus Hippocampis vectus, Graecorum urbibus non alienus. Sic apparet Deus inprimis in numis Berythi Phoenices.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
LUCRETIA.	Caput Neptuni, pone tridens, in area notae arithmeticae. L. LVCRETI. TRIO. Amor delphino vectus, quem freno cepit.
STATIA.	Caput Neptuni. MVRCVS. IMP. Tropaeum, ante quod vir togatus stans dexte am offert mulieri genu flexae.
PLAUTIA.	Caput Neptuni, pone tridens. P. YPSAE. S. C. C. YPSAE. COS. PRIV. CEPIT. Juppiter in citis quadrigis. Vid. et *numi historici.*
RUBRIA.	Caput Neptuni, pone tridens. DOSSEN. L. RVBRI. Victoria gradiens s. oblongum palmae ramum super humero tenet, ante pedes ara, super qua ovum dimidiatum, cui serpens obvolvitur. *Quinarius.* Vid. etiam *Aesculapius.* Asses cum hac epigraphe, vid. *Pondera.*
CREPEREJA.	Neptunus in bigis hypocamporum, in area literae alphabeti. Q. CRE-PER. M. F. ROCVS. Protome Deae marinae, in area litera et sigillum. *Serratus.*
DOMITIA.	Templum quatuor columnarum, juxta quod NEPT. CN. DOMITIVS. L. F. IMP. AHENOBARBVS. Caput nudum-barbatum.

Aureus.
Vid. *et numi historici.*
Caput Neptuni etiam in M. Bruti Denariis gentis Serviliae.

JUNO.

Juno, Saturni et Rheae filia dicitur, Jovis soror, qui eam sibi nuptiis jungebat. Romanos Junonem ac Lunam prisca aetate, ut et antiquissimis temporibus in Graecia, eandem putasse *Macrobius* Saturnal. I, 15. testatur. Luna deinde coeli regina facta haec notio etiam ad Junonem translata est, quae mox elata ad Jovis uxorem, atque aer interjectus inter mare et coelum habita est, sic ut Juppiter aether fuit. *Macrobius*, Saturnal. I, 17. *Cicero*, de Nat. Deorum. II, 26.

Romae priscis jam temporibus culta Juno, eique in Jovis Capitolini templo a Tarquiniis exstructo, cella dedicata erat. Ad illam sine dubio respicit caput Junonis in Denario Crepusii.

Juno Regina Romam intravit Vejis captis, et a Camillo dictatore transvecta est in Aventinum montem, ubi Camillus templum ei locavit. *Livius*, V, 22, 23. Proponitur illa, ut videtur, in Rubrii Denario, sceptrum enim, attributum regium, imagini additum est.

Moneta apud Romanos Juno vocabatur a monendo, ut *Cicero* de Divinatione, I, 45. II, 32, dicit. Cum enim in urbe terrae motus factus esset, ferunt, vocem exstitisse ex Junonis templo, quod in arce erat, ut de sue plena procuratia fieret. Sed Moneta etiam dicta est ab officina monetae, quae Romae juxta Junonis templum erat, votum a Furio Camillo in bello contra Aruncos. Recte igitur in Carisii Denario cum imagina Junonis Monetae instrumenta feriundae monetae destinata, incus, forceps, malleus conjuncta sunt. Haec typorum consociatio testari etiam possit, Monetae cognomen Junoni potius collatum esse ab officina prope Deae templum, quam ab admonitu ex templo. Moneta quoque in Plaetoriae gentis Denariis allata est.

Salutaris etiam nuncupata Dea, ut alter Carisii Denarius docet, quia adflictis bello rebus salutem attulit.

Juno Sispita, aut *Sospita*, hoc est Servatrix, maxima religione Lanuvii, Latii urbe, culta, Romam quoque admissa est et, cum primum Lanuvinis civitas data est, sancitum, ut aedes lucusque Sospitae communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano essent. *Livius*, VIII, 14. Duae ejus aedes Romae aedificatae erant, altera in foro olitorio, vota et dedicata a C. Cornelio Cethejo, *Livius*, XXXIV, 53, altera in regione

decumana. Testatur *Cicero*, pro Murena, 41, omnes consules huic Deae ex lege sacrificasse. Forma ejus ac cultus plane singularis est. Caput tegitur pelle caprina, dextra vibrat hastam, sinistra tenet scutulum, incedit calceolis repandis, seu recurvis. Sic *Cicero*, de Natura Deorum, I, 29, eam describit, sic etiam apparet in nostris numis. In nonnullis Denariis pro pedibus Deae serpens se sistit, in aliis virgo adsurgentem serpentem nascit, quod ad tutelam draconis Lanuvii respicit, qui statis diebus a puella pabulam acepit.

In Graecia cum imprimis apud Samios Junonis cultus insignis esset, Sami nobilissimum Deae templum exstructum erat, in quo pavones Deae sacri alebantur, inde in numis insulae saepius Junonis effigies et pavo.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
CREPUSIA, MAMILIA, MARCIA.	Caput Junonis diadematum velatum. L. CENSORIN. C. LIMETA. P. CREPVSI. Mulier in citis bigis.
RUBRIA.	Caput Junonis diadematum velatum, pone sceptrum. DOS. L. RVBRI. Lentae quadrigae, ex quibus superne avolat Victoriola. *Restitutus a Trajano.*
PLAETORIA.	Caput Junonis diadematum crinibus in occipite reticulo collegatis, pone varia sigilla. M. PLAETORI. CEST. EX. S. C. Caduceus. Similis, sed in aversa guttus, et fax ardens.
PLAETORIA;	Caput Junonis Monetae diadematum. MONETA S. C. L. PLAETORI. L. F. Q. S. C. Vir nudus currens d. et s. incertum quid tenet. Similis, sed in aversa guttus et fax ardens.
CARISIA.	Caput Junonis Monetae. MONETA. T. CARISIVS. Incus, forceps, malleus. Similis cum epigraphe: SALVTARIS. *Restitutus a Trajano.*
PAPIA.	Caput Junonis Sispitae, pelle caprina tectum. L. PAPIVS. CELSVS. IIIVIR. Lupa fomitem ore stringens et aquila expansis alis stantes ante ardentem lignorum struem.
PAPIA.	Caput Junonis Sispitae, pone caput capri et alia varia sigilla. L. PAPI. Gryphus currens, in area varia sigilla. Notandum est in uno horum Papii Denariorum apud *Morellium* in aversae area tabulam adesse, inscripta voce PAPI, ad leges Papias indicandas. Virgo Lanuvina etiam in Quinario Papii cum Victoriae capite in antica. Vid. *Victoria*.

PROCILIA.	Caput Junonis Sispitae, pone S. C. Juno Sispita in citis bigis d. hastam vibrat, s. scutulum praetendit, infra serpens. L. PROCILI. *Serratus.*
PROCILIA.	Juno Sispita cum calceolis repandis gradiens, d. hastam vibrat, s. scutum praetendit, pro pedibus serpens. L PROCILI. F. Caput Jovis, pone S. C. Vid. et *Juppiter.*
ROSCIA.	Caput Junonis Sispitae, in area variantia minuta sigilla, pellis caprina et alia. L. ROSCI. Virgo Lanuvina adsurgentem serpentem ex sinu pascit, in area varia sigilla. *Serratus.*
THORIA.	Caput Junonis Sispitae. I. S. M. R. L. THORIVS. BALBVS. Bos irruens, superne variae alphabeti literae. Literae in antica explendae sunt: Iunonis Sispitae Magnae Reginae. Juno Sispita etiam in aversa Denariorum Cornuficii. Vid. *Juppiter* et *Ceres* et *Genii locorum.* Occurrit quoque in Denariis et Quinariis Julii Caesaris gentis Mettiae.

FERONIA.

Culta fuit Feronia antiquissimis jam temporibus apud Sabinos et in Latio. Erat ei non procul ab urbe Capena, in Etruria, lucus et templum, inclitum divitiis, quod Hannibal spoliavit. *Livius*, XXVI, 11. XXVII, 4. Jam temporibus Tulli Hostilii Romae fanum Feroniae erat *Livius* I, 30. Videtur prisca aetate Feronia arborum et frugum Dea fuisse. Accito vero deinde Junonis cultu in Italiam, commutata est cum illa, unde etiam in Denariis diademate ornata.

FAMILIAE NOMEN.	*NUMMUS.*
PETRONIA.	Caput Deae Feroniae diadematum. FERON. TVRPILIANVS. IIIVIR. CAESAR. AVGVSTVS. SIGN. RECE. Parthus genu flexus signum offert.

CERES.

Ceres filia dicitur Saturni et Rheae, Jovis soror, quae gravida facta ab eo, Proserpinam genuit. A Graecis Δημήτηρ seu Γήμητηρ, terra

mater, appellabatur. Ejus cultus ex Cybeles cultu ortus esse videtur. Sic ut Cybele naturae et terrae symbolum erat, Ceres fertilitatis in terra typus habita est. Ceterum et agriculturae inventrix fuisse fertur, quae homines in societates conjungeret, legesque iis daret, a qua *Cicero*, in Verrem, V, 72, eleganter praedicat, initia mansuetudinis, humanitatis exempla hominibus et civitatibus data ac dispertita esse.

Romae Ceres etiam Bona Dea appellata et accita est jam priscis temporibus. Deinde Aulus Postumius Dictator anno V. C. 257, post victoriam a Volscis deportatam, de spoliis aedem Cereris vovit ac locavit, quam triennio post Spurius Cassius Consul dedicavit, unde in Cassiorum Denariis Ceres apparet.

Effingitur matronali habitu, ornata corona spicea. Sic in omnibus nostris numis, qui ejus effigiem sistunt. In Cassii Caeciniani Denariis jugum boum jure cum Deae imagine conjungitur, bos enim est animal ei sacrum, sic ut in C. Marii Denariis colonus arans ad agriculturam a Cerere inventam respicit. Singulis manibus taedas tenens in Denariis Vibiorum pingitur, quae ei tribuuntur, quia facibus ad Aetnam accensis, noctes diesque universum orbem terrarum pererret, ut Proserpinam filiam, a Plutone raptam, quaerat. Utebatur ad hanc rem etiam bigis draconum, unde vecta in illis saepius pingitur, ut et in Denariis Vibii et Volteji, quas deinde una cum tritico concessit Triptolemo, quod, vectus per aerem, terrarum orbi serendum condonaret.

Porca Cereri data et placide eam praecedens, in Vibii Denario, indicat, quod dicitur, suem fuisse, quae, cum rostro terram finderet, arationis et vomeris usum docuerit.

Sed etiam cum sues plantas affligant et semina rostro ernant, Cereri nulla sue gratior victima erat, teste *Ovidio*, Fast. I, 349 — 352.

> Prima Ceres avidae gavisa est sanguine porcae,
> Ulta suas merita caede nocentis opes.
> Nam sata, vere novo, teneris lactentia succis
> Eruta setigerae comperit ore suis.

Sedens, altera manu taedam, altera spicas tenens, eleganter proponitur in Denario Memmii Quirini, in memoriam Memmii cujusdam, qui Romae primus Cerealia fecit, ludos Romae in Cereris honorem a pridie Idus Aprilis per octo dies peractos et Graeca sacra vocatos, quia translata ex Graecia erant, sumta ex sacris Eleusinis et Thesmophoris.

Cereri ac Proserpinae summi honores apud Ennam Siciliae fuisse, numi hujus urbis docent. Habemus etiam in his numis animalia Cereri sacra, bovem, hircum, porcam. Inprimis vero Atheniensium numi et

6

Eleusinii notandi sunt, quorum typi Cererem sistunt, vectam in bigis draconum, et scorfam, quod pertinet ad mysteria Eleusine celebrata.

Cereri *Pales* aequiparari potest, Dea frugibus ac herbis, pabulo et alimentis pecudum, propitia. Observabatur priscis temporibus in Italia media, inprimis in Latio a pastoribus. In ejus honorem verno tempore, florida anni parte, Palilia celebrabantur. Ab ea etiam Palatinus mons, in quo Deae sacrificia facta sunt, nomen accepisse fertur. De illa vero numi nostri silent.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
CASSIA.	Caput Cereris spicis coronatum, in area variae literae solitariae. CAEICIAN.
	L. CASSI. Jugum boum aratro junctum, in area litera.
CRITONIA et JANNIA.	Caput Cereris spicis coronatum. AED. PL.
	M. FAN. L. CRIT. Duo viri togati sedentes, humi spica, in area P. A.
FURIA.	Caput Cereris spicis redimitum, hinc spica, illinc granum hordei. BROCCHI. IIIVIR.
	L. FOVRI. CN. F. Sella curulis, hinc et illinc fasces securibus muniti.
MARIA.	Caput Cereris spicis redimitum. CAPIT. In area variae sigillae et notae arithmeticae.
	C. MARI. C. F. S. C. Colonus arans, in area notae arithmeticae.
	Serratus.
	Restitutus a Trajano.
MARIA.	Caput Cereris spicis coronatum, C. MARI. C. F. CAPIT. in area variae notae arithmeticae.
	Colonus arans, supra nota arithmetica, infra S. C. et sigillum solitarium.
	Serratus.
MUSSIDIA.	Caput Cereris.
	L. MVSSIDIVS. LONGVS. in corona spicea.
	Aureus.
CORNUFICIA.	Caput Cereris spicis redimitum.
	Q. CORNVFICI. AVGVR. IMP. Vir velatus et togatus stans d. lituum, coronatur ab adstante Junone Sispita s. clypeum ancili similem, cui avicula insidet, tenente.
	Restitutus a Trajano.
MEMMIA.	Caput Cereris spicis coronatum, et capillis in occipite colligatis. C. MEMMI. C. F.

	C. MEMMIVS. IMPERATOR. Tropaeum, cujus trunco alligatus captivus flexo genu.
	Ceres etiam et mentio Cerealium in alio Memmii Denario, cum Romuli imagine, vid. *Romulus*.
VIBIA.	Ceres gradiens capite spicis coronato, singulis manibus singulas taedas praefert, ante eam aratrum. C. VIBIVS. C. F. C. N. PANSA. Caput Bacchi. Vid. et *Bacchus*.
VIBIA.	Ceres vecta in draconum bigis, s. ardentem taedam praefert. C. VIBIVS. C. F. C. N. PANSA. Caput Bacchi. Vid. et *Bacchus*.
VIBIA.	Ceres gradiens, in manibus taedas, comite porca, intra lauream. C. F. VIBIVS. C. F. PANSA. Caput Apollinis. Vid. et *Apollo*.
VOLTEJA.	Ceres ardentes taedas praetendens in draconum bigis, pone varia sigilla. M. VOLTEI. M. F. Caput Bacchi. Vid. et *Bacchus*.

VESTALIS LOCO VESTAE.

Vesta Dea fuit tuleraris domus et foci, quae homines aedificandi modum docuerat. Aeneas jam dudum cum Italiam intraret, Vestae simul cultum introduxisse dicitur. Romae primum Vestae templum exstruxit Numa, qui et Virgines Vestales instituit.

Priscis temporibus Vesta neque a Graecis, neque a Romanis specie humana picta est, sed loco simulacri in templis semper et perpetuo ignis adservabatur in vasculis. De Dea *Ovidius* in Fastis VI, 297.

> Ignis inextinctus templo celatus in illo,
> Effigiem nullam Vesta, nec ignis habent.

Quae igitur memorantur Vestae signa a scriptoribus, saepius sunt vel Cereris imago, vel Bonae Deae, aut Deae Romae. Tamen postea, sub imperatoribus Romanorum, specie humana picta est, ut in Caligulae et Titi numis, ubi sedens comparet, dextera aut pateram, aut Palladium tenens.

Frequenter et Vestalis species loco Vestae representatur, ut in nostris numis, in quibus caput Vestalis Maximae velatum proponitur. Maxima

6 *

appellabatur, quae aetate omnium maxima erat, et reliquis summa cum dignitate praefuit. In C. Clodii Denario sistiter Vestalis, in memoriam Vestalis Claudiae; quae narrante *Valerio Maximo* V, 4, 6, patrem contra leges triumphantem adversus tribunum plebem, qui eum ex curru trahere voluit, religione objecti corporis defendit.

Sed et ad alteram Vestalem, Quinctiam Claudiam, trahi potest, quae *Livio* XXIX, 14, teste, anno V. C. 549, navem cum statua Cybeles Pessinunte advectam, cum vado Tiberino adhaereret, implexo cingulo, in vitae inculpatae testimonium, Romam adverso flumine deduxit. Quod et *Aurelius Victor* narrat in libro, de viris illustribus, cap. XLVI: Claudia, virgo Vestalis, falso incesti suspecta, Deum oravit, ut, si pudicam sciret, sequeretur et zona imposita navem movit, simulacrum Matris Deum adduxit. Templum aedicavit Nasica, qui vir optimus judicabatur.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
CASSIA.	Caput Vestalis velatum. VEST. Q. CASSIVS. Templum Vestae rotundum intra quod sella curulis, in area hinc urna, illinc tabella, cui inscriptum: A. C. Vid. et *historici numi.* *Restitutus a Trajano.*
CASSIA.	Caput Vestalis velatum, pone simpuvium, in area varians alphabeti litera. LONGIN. IIIV. Vir togatus stans d. tabellam, cui inscriptum V. super basi tenet.
CLAUDIA.	Virgo Vestalis Claudia sedens d. simpulum. VESTALIS. C. CLODIVS. C. F. Caput muliebre floribus redimitum, pone flos. Similis aureus. Vid. et *Flora.*
SULPICIA.	Caput Vestalis velatum, pone S. C. P. GALB. AE. CVR. Culter, simpulum, secespita.

MARS.

Mars, Jovis et Junonis filius, symbolum fuit virtutis ac fortitudinis. Apud Graecos belli praeses observatus est, ejus nimirum, in quo vi ac robure tantummodo, ac fera virtute opus erat, cum, e contrario, Minerva ejus virtutis praeses colebatur, quae astutia ac consideratione gubernabatur.

Romani Martem summo cultu venerati sunt, et summum civitatis tutorem et defensorem habebant, creditus enim est gentis eorum auctor,

Romulique Remique pater. A Numa jam sacra ejus instituta sunt. Multa habuit Romae templa, quorum antiquissimum dicitur, quod in Campo Martio exstructum erat, magnificentissimum in foro Martis Ultoris, ab Augusto votum et dedicatum.

Mars effigebatur semper juvenis, aetati virili proximus, vultu ardente, capite galea tecta. Sic etiam in nostris numis. In Denario Junii Albini Bruti caput ejus lanugine vestitum sistitur.

Inter numos Mamertinorum Siciliae, a quibus Mars eximie cultus fuit, sunt Martis capite juvenili, imberbi, laureato signati, ita ut Apollo videri possit, nisi epigraphe, *ΑΡΕΟΣ*, vetaret.

Tropaeophorum habent Denarii P. Fonteji et Lucii Valerii Flacci. Ille quoque quadrigis insidens et cum armis irruens, proponitur in Denariis antiquae formae gentis Aburiae, atque Postumiae, qualis describitur a *Virgilio* Aeneid. VIII, 432.

> Parte alia Marti currumque rotasque volucres
> Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes.

FAMILIAE NOMEN.	N U M I.
CORNELIA	Caput Martis imberbe galeatum, pone X, et varie sigilla. CN. BLASIO. CN. F. Bacchus adversus stans nudus, d. thyrsum, s. strophium seu fascem sagittarum, quem advolans ad sinistram Pallas coronat, ad dexteram stat mulier d. hastam tenet, in imo ROMA. In area varia sigilla et literae Graecae. Similis aureus. Vid. et *Bacchus*. Pondera cum simili epigraphe, vid. *Pondera*.
CORNELIA.	Protome Martis tergo obverso, cum hasta. CN. LENTVL. Victoria in citis bigis.
JUNIA.	Caput Martis lanugine vestitum. ALBINVS. BRVTI. F. Duo litui militares decussati, superne et inferne clypeus.
RUSTIA.	Caput Martis imberbe, pone S. C. et X. L. RVSTI. Aries.
SATRIENA.	Caput Martis imberbe in area variantes notae arithmeticae. P. SATRIENVS. Lupa gradiens, supra ROMA. Vid. et *Historia romana*.
FONTEJA.	Caput Martis tropaeophori, juxta tropaeum. P. FONTEIVS. P. F. CAPITO. IIIVIR.

..	MAN. FONT. TR. MIL. Eques citato cursu, inferne duae figurae in singulari certamine.
VALERIA.	Mars tropaeophorus stans, d. hastam, s. tropaeum, hinc apex, inde spica. L. VALERI. FLACCI.
	Protome Victoriae, pone X.
	Vid. et *Victoria*.

VULCANUS.

Vulcanus, Jovis et Junonis filius, fuit ignis terrestris symbolum, simulque habitus est inventor artium, quarum opera ignis praesidio absolvuntur. Igitur a Latinis et *Mulciber* dictus est, a mulcendo, seu molliendo ferro, aut, ut *Macrobius*, Saturnal. VI, 5, dicit, quod ignis sit et omnia mulceat et domet.

Romae jam priscis temporibus cultus est. Romulus ei extra urbem fanum dedicavit, in quod quadrigas aeneas cum aliis spoliis ex Cameria statuit. Intra urbem vero Tatius, Sabinorum rex, Templum Vulcano vovit.

Ceterum in moneta Italica non infrequens Vulcanus, ut in Arimini Umbriae numis, Aeserniae Samnii et insulae Liparae.

Formatur liberaliter barbatus, gravi vultu, caput ejus pileo conico tectum est, et corona laurea cinctum. Atrributum ejus forceps est, fabrorum instrumentum. Sic proponitur quoque in Aurelii Cottae Denario, neque non in Dodrante Cassii, de quo in Ponderum descriptione sermo erit. Denarii aversa, aquila fulmini insistens, optime cohaeret cum antica, Vulcanus enim fulminum Jovis faber fuit, quae aquila, *minister fulmini ales*, defert.

FAMILIAE NOMEN.	*NUMUS.*
AURELIA.	Caput Vulcani, pone forceps, in area X.
	L. COT. Aquila fulmini insistens, intra lauream literae alphabeti jam anticam, jam aversam occupant.
	Serratus.

PALLAS.

Pallas, Minerva, Jovis filia, ex ejus vertice edita, ut fabula narrat, fuit apud veteres antistes omnium artium, tam pacis, quam belli. Igitur

non *Bellatrix* solum virgo culta, quae proeliis interest, et duces adjuvat ac servat, sed etiam *Pacifera*, artium elegantiarum praeses et artificum tutrix.

A Romanis statim a civitatis initio summa religione observata, summoque in honore habita est, atque *Romae conservatrix*, teste *Cicerone*, pro Domo 57, nuncupata. Quare ejus imago status typus in moneta argentea Romanorum antiqua fuit, neque non belli Dea et Martis socia culta.

Pingitur armata, capite galeato, tenens hastam et scudum, seu Aegidem, cujus medium Gorgonis capite ornatum est. Unde Denarius Cordii, Aegidem habens, huc pertinet. Galea interdum alata fingitur, ut in argenteis antiquis Romanorum numis, ubi Minerva victrix se sistit. In Denariis cum typis novae legis Minerva alata raro occurrit, et tantummodo in paucis, qui antiquum in typis modum servarunt, ut in Claudiae, Manliae, Cipiae gentis Denariis. Pallas Victrix, *Αϑηνα Νικη*, etiam a Graecis et eximie ab Atheniensibus observata est, quod numi illorum testantur. *Eckhel* Doct. Num. Vet. Vol. II. pag. 214. Habent effigiem Deae quoque numi Agathoclis, Siciliae regis, et Demetrii II, Syriae regis.

In Q. Lutatii Denario Deae galea palmae ramis et astris ornata est. Typus aversae istius Denarii, navis, indicat victoriam navalem Q. Lutatii Catuli de Poenis relata, qui, ut verba sunt *Aurelii Victoris*, cap. XLI, de viris illustribus, primo bello Punico trecentis navibus adversus Poenos profectus, sexcentas eorum naves commeatibus et aliis oneribus impeditas, duce Hamilcare apud Aegates insulas inter Siciliam et Africam depressit, aut cepit, finemque bello imposuit.

In M. Volteji Denario galea lauro cincta est. Avis Minervae sacra noctua fuit, symbolum consultationis. Unde in Cordii numis noctua galeae et clypeo insistens spectat ad Palladem. Noctua in Atheniensium numis obvius typus cum Palladis specie conjuncta est.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
CLAUDIA.	Caput Palladis galeatum alatum. C. PVLCHER. Victoria in citis bigis.
CLAUDIA.	Caput Palladis galeatum alatum, pone O. AP. CL. T. MAL. Q. VR. Victoria in citis trigis.
MANLIA.	Caput Palladis galeatum alatum, pone O. T. MAL. AP. CL. Q. VR. Victoria in citis trigis.
CORNELIA et MANLIA.	Caput Palladis galeatum alatum. L. MANLI. PROQ. L. SVLLA. IMP. Sulla in quadrigis triumphalibus d. caduceum tenet, quem advolans Victoria corohat. Similis aureus.

MANLIA. Caput Palladis galeatum alatum, juxta X. ROMA. omnia intra torquem.
Eadem aversa.

CORNELIA. Caput Palladis galeatum alatum, quod a Victoria retro stante coronatur.
L. SVLLA. IMP. Sulla paludatus stans s. parazonium dexteram jungit cum muliere s. hastam tenente, pone navis, e qua Sulla egressus videtur.

CIPIA. Caput Palladis galeatum alatum, pone X. — M. CIPI. M. F.
Victoria in citis bigis infra gubernaculum, ROMA.
As cum illa epigraphe, vid. *Pondera*.

FABIA. Caput Palladis galeatum, prae quo X. — Q. MAX. ROMA.
Cornucopiae cum transverso fulmine, intra coronam ex papavere et spicis.
Similis exstat Denarius cum Apollinis capite in antica. Vid. *Apollo*.
Pondera cum Q. MAX. vid. *Pondera*.

VIBIA. Protome Palladis d. hastam, s. clypeum.
C. VIBIVS. VAR. Mulier alata stans d. vestis sinum e pectore faciem versus adduxit.
Aureus.

VIBIA. Caput Palladis.
Eadem epigraphe. Hercules stans.

VIBIA. Pallas Nicephora stans.
Eadem epigraphe. Caput Herculis barbatum laureatum.
Vid. et *Hercules*.

SENTIA. Caput Palladis alatum, pone litera alphabeti.
L. SAT. in monogrammate. Caput simile Palladis.

LUTATIA. Caput Palladis tectum galea, palmae ramis inter duo astra exornata.
CERCO. pone X, supra ROMA.
Q. LVTATI. Q. Navis intra coronam quernam.

CONSIDIA. Caput Palladis.
C. CONSIDI. Victoria in citis quadrigis.

RUBRIA. Caput Palladis. DOS.
L. RVBRI. Lentae quadrigae ex quibus superne defixa Victoria in citis bigis vecta.
Restitutus a Trajano.

SERVILIA. Protome Palladis. RVLLI.
P. SERVILI. M. F. Victoria in citis bigis, in area P.

VALERIA. Protome Palladis galeata, obverso tergo, cum hasta. MESSAL. F.
PATER. COS. S. C. Sella curulis.

VOLTEJA. Caput Palladis galeatum laureatum, in area varia sigilla.

	M. VOLTEI. M. F. Cybele leonum bigis vecta, in area variae notae arithmeticae Graecae.
	Vid. et *Cybele.*
CORDIA.	Noctua galea insistens. RVFVS.
	MAN. CORDIVS. Aegis inserto Medusae capite.
CORDIA.	Noctua clypeo insistens.
	Galea.
	Sestertius.

VENUS ET AMOR.

Venus ex spuma maris orta fertur, tamen et Jovis atque Dionis filia dicitur. Symbolum erat amoris, gratiae ac venustatis.

Apud Graecos summo in honore fuit et multorum regionum princeps numen, quod etiam ex numis apparet. Singulari specie Paphi colebatur et simulacrum non humana effigie formatum erat, sed metae modo exsurgens. *Tacitus* Hist. II, 3. Venus Paphia quoque Pergami et Sardibus observabatur, et numi illarum regionum habent templum Deae cum tali simulacro.

In Italia priscis jam temporibus Venerem cultam esse, testantur aenei Anconae in agro Piceno. Apud Romanos Venus summa veneratione statim a civitatis initio observata est, praecipue tanquam mater Aeneae, a quo genus suum ducebant. Tatius, Sabinorum rex, *Cloacinae Veneris* templum Romae vovit, cum, pace constituta inter Sabinos et Romanos, milites, armis depositis, sacrificio a bello se purgarent. *Plinius*, H. N. XV, 29. Nomen adoptata est a verbo *cluere*, seu *luere*, quod idem est ac purgare, unde et *Lua Mater*, Dea, quae purgabat.

Vetus erat templum *Veneris Libitinae* Romae, in quo pro singulis mortuis singuli numi solvebantur, et a libitinariis omnia vendebantur, quae ad funera necessaria erant.

Circa annum V. C. 537, Graecus Veneris cultus ex Sicilia Romam accitus est, et quidem *Veneris Erycinae* ex Siciliae urbe Eryx, ubi celeberrimum ejus templum erat, Romanis apprime carum, quia a Segestanis, qui genus suum a Trojanis ducebant, conditum erat. Q. Fabius Maximus fuit primus, qui Romae templum huic Deae sacrum in Capitolio dedicavit. *Livius* XXII, 10. XXIII, 30. 31. Alterum et Veneris Erycinae templum Romae exstructum fuit extra portam Collinam *Livius* XXX, 38.

Deinde vero, exeunte jam republica, imprimis Veneris cultus inclaruit. Pompejus *Veneri Victrici* templum dedicavit. Sulla singularem pietatem habuit in illam, quod ejus et filii Fausti numi testantur. Tandem Julius

Caesar, qui a Venere genus suum ementitus est, eam summa religione coluit et *Genetricem* appellavit, atque templum in ejus honorem in foro suo aedificavit. Etiamque in pluribus ejus numis picta se sistit.

Caput Veneris in nostris numis semper comparet diadematum, laureatum, in Plautii Denario vero latiori fascia redimitum et margaritis distinctum. In Considii Denariis quoque margaritis ornatum est. Aversa unius ex illis Denariis sistit templum Veneris Erycinae, quo sine dubio Siculum templum designatur.

In Plautii Denario Venerem marinam depictam esse, ex addito delphino probabile redditur. In nonnullis Denariis conjuncta est Veneris imago cum Victoria, quae aversam tenet, quod, ut videtur, respicit ad Venerem Victricem.

Veneris comes est ***Amor, Eros.*** Primo a Graecis juvenis effictus, deinde, cum sub Romanorum auspicio artes florerent, interdum et puer effingebatur, alatus, saepius arcum et sagittas gestans. Puer in nostris quoque numis comparet. Imago ejus in Egnatii Denario sistitur et in alio viri hujus Denario collo Veneris adhaeret Amor. Typus ille etiam in Denario gentis Juliae occurrit.

Amorem delphino vectum habet Denarius Cordii, et alius Lucretii. Amor palmae ramum tenens ante Veneris imaginem in Sullae Denario sistitur. Saltans proponitur in Sestertiis Cordii.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
VIBIA.	Caput Veneris laureatum.
	Venus seminuda stans juxta columnam in speculum intuetur. C. VIBIVS. VARVS.
	Aureus.
	Similis argenteus.
CESTIA.	Caput Veneris religatis diademate crinibus. C. NORBANVS. L. CESTIVS. PR.
	S. C. Cybele capite turrito in leonum bigis, s. tympano innixa.
	Aureus.
	Vid. et *Cybele.*
AEMILIA.	Caput Veneris. L. BVCA.
	Diana adstante Victoria palmifera ad virum humi superstrato dormientem descendit.
	Similis, sed sine epigraphe, et pro Veneris imagine globus.
	Vid. et *Diana.*
LICINIA.	Caput Veneris diadematum laureatum, pone S. C.

P. CRASSVS. M. F. Miles stans, s. hastam et clypeum d. equum capistro retinet; infra equi pedes thoraci quid simile.

CONSIDIA. Caput Veneris diadematum laureatum margaritis distinctum. C. CONSIDI. NONIANI. S. C.
Templum Veneris Erycinae in vertice montis, qui moenibus cinctus et cui inscriptum: ERVC.

CONSIDIA et FLAMINIA. Caput Veneris laureatum. L. CONSIDI. NONIANI. S. C.
L. FLAMIN. CHILO. Victoria in citis bigis, d. lauream.

CONSIDIA. Caput Veneris laureatum.
C. CONSIDI. PAETI. Sella curulis.

CONSIDIA. Caput Veneris laureatum diadematum. PAETI.
C. CONSIDI. Victoria in citis quadrigis.
Similis, sed Veneris caput ad dextram.

CONSIDIA. Caput Veneris. PAETI.
C. CONSIDI. Victoria gradiens, manibus tropaeum portans.
Quinarius.

FLAMINIA. Caput Veneris. IIIVIR. PRI. FLA.
L. FLAMIN. CHILO. Victoria in citis bigis d. lauream.

HOSTILIA. Caput Veneris diadematum laureatum.
L. HOSTILIVS. SASERNA. Victoria gradiens oblongum palmae ramum et caduceum gestat.

NAEVIA. Caput Veneris diadematum, in area S. C.
C. NAE. BALB. Victoria in citis bigis.
In antica variae literae alphabeti, aut, cum hae absunt, in aversae area notae arithmeticae.
Serratus.

NORBANA. Caput Veneris diadematum, C. NORBANVS. Spica, fasces cum securi, caduceus, in area variae notae arithmeticae.
Restitutus a Trajano.

PLAUTIA. Caput Veneris latiori fascia redimitum et margaritis distinctum, in area delphinus. P. YPSAE. S. C.
Q. YPSAE. COS. PRIV. CEPIT. Juppiter fulminator in citis quadrigis.
Vid. et *Historici.*

EGNATIA. Caput Veneris, in cujus collo pendet Amor. MAXVMVS.
C. EGNATIVS. CN. F. CN. N. Mulier in lentis bigis capite laureato et velato, quam adstans Victoria coronat, retro pileus.
Serratus.

CORDIA. Caput Veneris diadematum. RVFVS. S. C.
Amor delphino vectus. MAN. CORDIVS.

CORDIA.	Caput Veneris. MAN. CORDIVS. Cupido saltans d. corollam, s. palmae ramum. RVFI. *Quinarius.*
CORDIA.	Cupido saltans. RVFVS. MAN. COR. Galea. *Sestertius.*
CONSIDIA.	Caput Amoris, in humeris alae. C. CONSIDIVS. Globus et duplex cornucopiae. *Sestertius.*
CORNELIA.	Caput Veneris diadematum, ante quod Amor stans d. oblongum palmae ramum tenet. L. SVLLA. IMPER. ITERVM. Guttus et lituus inter duo tropaea. Similis *aureus.*
EGNATIA.	Protome Amoris. MAXVMVS. C. EGNATIVS. CN. F. CN. N. Templum distylum, intra quod stat vir togatus, d. hastam, super quem in epistylio fulmen, adstat mulier manibus expansis, supra quam pileus. In area variae notae arithmeticae. Caput Veneris etiam in nonnullis Denariis Fausti, Sullae filii. Vid. *Historici nummi.* Nonneque in Denariis Julii Caesaris. Amor delphino vectus in Lucretii Denario. Vid. *Neptunus.*

APOLLO.

Apollo, Jovis et Latonae filius cognitus, Graecis symbolum fuit solis et ejus vis efficiendi, porro antistes artis divinatoriae, medicinae inventor, tandem Musarum dux atque artium liberalium praeses observatus est. Quae affirmantur ab *Ovidio*, Metamorph. I, 515. seq.

Mihi Delphica tellus,
Et Claros, et Tenedos, Patareaque regia servit.
Juppiter est genitor. Per me, quod eritque, fuitque,
Estque, patet: per me concordant carmina nervis.
Certa quidem nostra est: nostra tamen una sagitta
Certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.
Inventum medicina meum est; opiferque per orbem
Dicor: et herbarum subjecta potentia nobis.

Apud Romanos Apollo primitus imprimis Sol ac Helios observatus est. Camillus primus Romanorum fuit, qui sacra ei fecit, Vejis captis,

ad montem Albanum. Libera reipublica Dei cultus in eo potissimum constabat, ut in rebus dubiis oraculum Delphicum adirent Romani, et a Deo salutem quaererent. Interdum etiam his temporibus victoriae causa ludi in Apollinis honorem editi sunt. Sub reipublicae finem vero Apollinis cultum Romae auctum esse, numi familiarum horum temporum cum imagine Apollinis testantur.

Praecipue vero ab Augusti inde aetate Apollo Romae summo in honore habitus est, quia Augustus Apollinis filius aestimatus est, qui etiam Deo in palatio templum aedificavit, unde Palatini nomen accepit. *Suetonius*, Aug. 29. 94. Hujus honores inde crevere, victo ad Actium, ubi templum Apollinis erat, Antonio, quo deinde Actii nomen in Deum transiit. Comparet ille in Augusti numis et stolatus, lyram tenens, incedit.

Simili modo pictus sistitur Apollo Actius in argenteo Lampsaci Mysiae, qui sine dubio post victoriam Actiacam signatus est.

Pingitur Apollo semper juvenili aspectu, imberbis, capillis saepius promissis, saepius cincinnis dependentibus. Pingitur etiam barbatus, ut in numis Alaesae Siciliae.

In nostris Denariis caput Apollinis vel laureatum, vel diadematum proponitur, in Plaetorii Denario vero caput est nudum, prolixis crinibus. In nonnullis Denariis, ut gentis Coponiae, Valeriae, capiti adjungitur astrum, in Crepusii Denario sceptrum. Cum arcu et sagittis, in Denario antiquae formae, gentis Baebiae, effingitur Deus, in simili Denario gentis Opeimiae, arcum intendens, in bigis.

FAMILIAE NOMEN.	N U M I.
COPONIA et SICINIA.	Caput Apollinis diadematum, infra astrum. Q. SICINIVS. IIIVIR. C. COPONIVS. S. PR. S. C. Clava erecta cum spoliis leonis, hinc telum, hinc arcus.
CREPUSIA.	Caput Apollinis laureatum, pone sceptrum, in area sigilla solitaria et variae literae. P. CREPVSI. Eques citato cursu d. jaculum vibrat. In area notae arithmeticae.
FABIA.	Caput Apollinis laureatum, prae quo lyra et X, pone ROMA. Q. MAX. Cornucopiae cum transverso fulmine, intra coronam ex papavere et spicis.
	Similis cum Palladis capite in antica, vid. *Pallas*.
LICINIA.	Caput Apollinis laureatum. NERVA. A. LICINI. Eques rapido cursu.

VOTLEJA. Caput Apollinis laureatum.
M. VOLTEI. M. F. Tripus, cui serpens obvolvitur, juxta S. C. D. T.
Sensus literarum juxta tripodem non constat.

CAECILIA. POBLICIA. POSTUMIA. Caput Apollinis laureatum, infra astrum.
C. MAL. Figura seminuda clypeis insidens, d. hastam, pendente ad latus perizonio, coronatur a Victoria retro stante, in imo ROMA.
Similis, in antica vero epigraphe. L. METEL. A. ALB. S. F.

MARCIA. Caput Apollinis laureatum, in area varia sigilla.
L. CENSOR. Silenus stans ad columellam.
Vid. et *Bacchus.*

MARCIA. Caput Apollinis diadematum pendentibus cincinnis.
C. CENSORI. Equus citato cursu, in area varia sigilla, aut notae arithmeticae.

CALPURNIA. Caput Apollinis laureatum cincinnis dependentibus, in area notae arithmeticae.
C. PISO. FRVGI. Eques rapide invectus, qui palmae ramum tenet, in area varia sigilla.

CALPURNIA. Caput Apollinis laureatum, pone variae literae.
L. PISO. FRVGI. Eques ut supra. in area variae literae.

CALPURNIA. Caput Apollinis laureatum.
L. PISO. FRVGI. ROMA. Idem typus, in area varia sigilla.
Similis, sed ROMA in monogrammate et in area notae arithmeticae.

CALPURNIA. Caput Apollinis.
L. PISO. FRVGI. Victoria gradiens d. lauream s. palmae ramum.
Quinarius.
Pondera cum illa inscriptione, v. *Pondera.*

VIBIA. Caput Apollinis. PANSA.
C. VIBIVS. C. F. Ceres gradiens, in manibus taedas, comite porca; omnia intra lauream.
Vid. et *Ceres.*

VALERIA. Caput Apollinis diadematum, crinibus per cincinnos pendentibus, supra astrum et juxta malleus, ACISCVLVS.
L. VALERIVS. Volucris capite virgineo galeato, cujus sinistro lateri clypeus et hasta adhaerent; omnia intra coronam.

VALERIA. Caput Apollinis ut supra.
L. VALERIVS. Caput muliebre colligatis filo crinibus intra coronam.

VALERIA. Caput Apollinis ut supra.
L. VALERIVS. Europa tauro vecta.
Restitutus a Trajano.

PLAETORIA. Caput Apollinis, pone sigillum.
M. PLAETORI. CEST. EX. S. C. Caduceus.
Apollinis caput etiam in antica Denarii Postumii Albini cum Dioscuris. Vid. *Dioscuri*.

DIANA.

Diana, Graecorum Artemis, Jovis et Latonae filia, ut fabula narrat, Apollinis soror, praecipue venationis Dea observata est, quae silvis et montibus praefuit.

Apud Romanos jam priscis temporibus summo cultu observabatur. Primum Romae Deae templum, Servio Tullio regnante, a Romanis et Latinis aedificatum erat, quod commune fuit illis populis, ad exemplum Dianae Ephesiae templi a civitatibus Asiae communiter facti. *Livius* I, 45. Exstructum erat in Aventino monte. Inclytum quoque fuit Dianae templum Dianae Aricinae in nemore Aricia. *Pausania* II, 27, narrante, non ingenuis, sed servis, qui se dominis fuga subduxerant et in singulari certamini vicerant, Deae sacerdotium in praemium demandatum est. Aricini dicebant, Hippolytum, discerptum ob Thesei imprecationes, ab Aesculapio vero in vitam revocatum, in Italiam venisse, ibique, Aricinae Dianae templo dicato, regnasse.

Pingitur Diana crinibus plerumque in occipite in nodum colligatis, interdum diademate ornata, cum arcu et pharetra, canes et cervos juxta se habens. Ita jam in moneta Graecorum, ita quoque in nostris numis proponitur. In iis, qui caput Dianae habent, humeris semper arcus et pharetra adjecti sunt. In altero ex A. Postumii Denariis capiti Deae imminet cervi caput. Aversa hujus Denarii, quae montem sistit, in quo vir togatus dextram super bovem victimam extendit, sine dubio alludit ad Dianae templum in monte Aventino, et ad immolatas in ludis saecularibus Dianae boves, de qua re *Horatius* in carmine saeculari. Quod *Aurelius Victor*, in libro de viris illustribus, cap. VII narrat, etiam ad nostrum Denarium spectat. „Servius Tullius Latinorum populis persuasit, uti exemplo eorum, qui Dianae Ephesiae aedem fecissent, et ipsi aedem Dianae in Aventino aedificarent. Quo effecto, bos cuidam Latino mirae magnitudinis nata, et responsum somnio datum, cum populum summam imperii habiturum, cujus civis bovem illam Dianae immolasset. Latinus bovem in Aventinum egit, et causam sacerdoti Romano exposuit. Ille callidus dixit, prius eum vivo flumine manus ablucre debere. Latinus

dum ad Tiberum descendit, sacerdos bovem immolavit. Ita imperium civibus, sibi gloriam facto consilioque quaesivit.

In altero C. Postumii Denario aversa habet canem currentem et infra hastam. Sic quoque in aversa Denarii et Sestertii Carisiorum canis currens locum invenit. Optime hoc cum Dianae imagine in antica eorum numorum cohaeret, canes enim, secundum *Ovidium*, Fast. V, 141, appellabantur *turba Diania*.

In Hosidii Denariis aversa, apri venatio, etiam ad Dianam venatricem spectat, eique conveniens est. In bigis cervorum Diana in Aeliae et Axiae gentis Denariis comparet. Vidimus hanc repraesentationem jam in numis consularibus.

Ephesia Diana sistitur in Cornelii Lentuli Denario. Peregrino cultu Dea occurrit in Denario Hostilii, radiato nempe capite, cervum tenens in dextra, hastam in sinistra. Dianam stolatam, in humeris arcum et pharetram, in utraque manu facem gestantem, habet aversa Denarii P. Clodii.

Singulari cultu Dea proponitur in Denario C. Plancii, caput pileo tectum. Illa est, monente *Eckhelio* D. N. V. Vol. V, 275, *Diana Planciana*, cujus mentio fit in marmore, ex quo conjici potest, Dianam eo modo in aedibus Planciorum cultam fuisse. Non alienum insuper a Diana capra silvestris, et arcus atque pharetra in Denarii aversa.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
CLAUDIA.	Caput Dianae cum arcu et pharetra, juxta S. C. TI. CLAVD. TI. F. AP. N. Victoria in citis bigis in area literae et notae arithmeticae. *Serratus.*
HOSIDIA.	Protome Dianae crinibus in occipite colligatis et diademate ornata, ad cujus humeros arcus et pharetra. GETA. IIIVIR. C. HOSIDI. C. F. Aper venabulo transfixus, adlatrante cane.
HOSIDIA.	Protome Dianae capillis retro in nodum collectis. GETA. IIIVIR. Eadem aversa. *Serratus.*
MAMILIA.	Caput Dianae, pone S. C. C. MAMIL. LIMETAN. Vir curto habitu, tectus pileo rotundo s. scipionem graditur, ei adblanditur canis. *Serratus.* Eandem aversam habent ejusdem Mamilii Denarii cum Protome Mercurii. Vid. *Mercurius.*

POSTUMIA.	Caput Dianae capillis in occipite in nodum collectis ad humeros arcus et pharetra, infra ROMA. A. ALBINVS. S. F. Tres equites armati citato cursu, quos miles pedestris effugere nititur.
POSTUMIA.	Caput Dianae eodem cultu, cui superne caput cervi imminet. A. POST. A. F. S. N. ALBIN. Mons super quo stans vir togatus dextram super bovem victimam extendit, medio inter utrumque ara ignita. *Serratus.*
POSTUMIA.	Caput Dianae eodem cultu. C. POSTVMI. AT. Canis currens, infra quem hasta.
AELIA aut ALLIA.	Caput Dianae, juxta literae alphabeti. BALA. Diana in citis cervorum bigis d. facem s. hastam, intra cervos varia sigilla militaria. Omnia intra lauream. G. ALLI. BALA. in Asse et Quadrante vid. *Pondera.*
CARISIA.	Caput Dianae, prominente retro arcu et pharetra. T. CA. Canis currens.
CARISIA.	Caput Dianae. T. CAR. Canis currens.
AXIA.	Diana succincta d. hastam in citis cervorum bigis, praecurrit canis unus, sequuntur duo. In area nota arithmetica. L. AXIVS. L. F. NASO. S. C. Caput muliebre galea tectum, ramis prominentibus ornata, in area eadem nota arithmetica.
CLAUDIA.	Diana stolata stans utraque manu oblongam facem tenet. P. CLODIVS. M. F. Caput muliebre, pone lyra. Vid. et *Musae.*
AEMILIA.	Diana adstante Victoria palmifera ad virum humi super strato dormientem descendit. L. BVCA. Caput Veneris. Vid. et *Venus.*
PLANCIA.	Caput Dianae Plancianae, pileo tectum. CN. PLANCVS. AED. CVR. S. C. Capra silvestris, pone arcus et pharetra.
HOSTILIA.	Diana peregrino cultu stans, d. cervum cornibus retinet, s. hastam. L. HOSTILIVS. SASERNA. Caput Palloris, pone lituus militaris. Vid. et *Pallor.*
CORNELIA.	Diana Ephesia cum adminiculis. L. LENTVLVS. C. MARC. COS. Caput nudum barbatum.
	Diana etiam in Denariis Fausti, Sullae filii. Vid. *numi Historici.*

HELIOS AUT SOL,
ET
SELENE SEU LUNA.

Helios aequalis fuisse videtur Apollini. Variarum vero rerum Apollo Deus et praeses, simulque solis symbolum, deinde rector et moderator solis Helios praecipue habitus est, eique singularis cura ac gubernatio solis currus demandata fuit. Ex Syria, ubi inprimis observatur, Graeciam intravit. Sic quoque Selene, non dissimilis Dianae, distincta vero deinde, lunae moderatrix culta est. Dicuntur et Helios et Selene soboles Hyperionis et Thiae.

His Romae jam a Tatio, Sabinorum rege, templum dedicatum fuisse fertur. Relati a Romanis inter Deos, qui agriculturae duces sunt, teste *Varrone*, de R. R. I, 1. 5. Deinde Helii cultus Romae cumprimis invaluit temporibus Heliogabali imperatoris, qui in Palatino monte templum ei fecit, in quod omnia Romanis veneranda transferre conatus est. *Lampridius* Heliogab. III.

Sed etiam libera adhuc republica nonnullis familiis privatam fuisse religionem in Helium, sicut in Selenen, testantur numi nostri. In iis Helios juvenili forma effingitur, capite radiis cincto, Selene virginali habitu, cum luna bicorni in fronte, aut sub imagine lunae crescentis.

In Aquilii et Valerii Denariis Solis imago, quae anticam tenet, jungitur cum Luna in bigis, aversae typo. Claudii et Lucretii Denariorum aversa habet Lunam crescentem inter astra. Comparet quoque Helios in quadrigis, in Aburiae gentis Denario antiquo, Luna in Denariis Spurilii, Flavii, Furii ejusdem generis, nec non in consularibus, in bigis equorum et cervorum.

FAMILIAE NOMEN.	NUMI.
AQUILLIA.	Caput Solis radiatum, pone X.
	MAN. AQVIL. Luna in citis equorum bigis inter astra, in imo ROMA.
CLAUDIA.	Caput Solis radiatum, pone I.
	C. CLODIVS. M. F. Luna inter quinque astra.
	Similis *Aureus*.
LUCRETIA.	Caput Solis radiatum.
	L. LVCRET. TRIO. Luna inter septentriones.
	Restitutus a Trajano.

MUSSIDIA.	Caput Solis radiatum adversum. L. MVSSIDIVS. LONGVS. Comitium, in quo stans diribitor et civis suffragium ferens, comitio inscriptum: CLOACIN.
CORDIA.	Caput Solis radiatum. MAN. CORDIVS. RVFVS. Aquila stans expansis alis. *Quinarius.*
VALERIA.	Caput Solis radiatum, pone malleus. ACISCOLVS. *Restitutus a Trajano.*
	Caput Solis etiam in Coelii Denario. Vid. *numi Historici.*

CLIMENE ET HELIADES.

Climene, Oceani filia, Helii uxor fuisse dicitur. Heliades ejus filiae, Phaetusa, Lampetie et Phoebe, luctantes ad Phaetontis fratris tumulum, desiderio captae, mutatae sunt in larices, ut de iis fabula narrat apud *Ovidium*, Metamorph. II, 325. Accolejus Lariscolus illas in Denariis suis proposuit propter adlusionem ad cognomen. *Virgilius*, Aeneid. X, 190, Heliades in populos et alio loco, Eclog. VI, 63, in alnos mutatos esse affert.

FAMILIAE NOMEN.	*NUMUS.*
ACCOLEJA.	Caput Climenes. P. ACCOLEIVS. LARISCOLVS. Tres virgines Heliades, adversae stantes, in larices mutatae.

MERCURIUS.

Mercurius, Jovis et Majae filius, prudentiae ac simul astutiae symbolum erat. Igitur eloquens Deorum nuntius atque minister, neque non lyrae inventor, variarumque artium auctor cultus fuit, quare et Palastrae praeses.

Romam sine dubio ex Campania aut Magna Graecia accitus, ibique templum ei consecratum est non procul a Circo Maximo, ut artis gymnasticae praesidi.

Priscis temporibus lanugine vestitus effingebatur et caput ejus stela seu cippo impositum erat, herma appellata. Mercurium barbatum habent aenei insulae Gaulos. Mercurium esse persuadet caduceus. Etiam *Pausanias* II, 22, de Mercurio barba vestito loquitur, in foro urbis Pharae

Achajae, cujus caput lapide quadrato impositum erat. Deinde pictus est juvenis formosus, petaso et talaribus alatis insignis, tanquam nuntius et minister Deorum, caduceum tenens, ut praeco et pacis auctor, cujus symbolum caduceus est. Apud *Homerum* Mercurio scipio aureus attribuitur, ex quo postea, arboris fronde circumseptus, tandem duobus angvibus cinctus, caduceus provenit.

In Mamilii Denario et Papii Quinario Mercurii effigici adjectus est caduceus, quem Sestertius Sepullii habet in aversa. Quinarii Papii aversa tenet lyram, cujus inventor praedicabatur Mercurius, curvae lyrae parens, ut *Horatius* Od. I, 11, eum appellat. Mamilii Denario inest in aversa Ulysses, ad quem Mamilli genus suum retulerunt. Idem typus invenitur in Mamilii Denario cum Dianae imagine in antica. Vid. *Diana*.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
MAMILIA.	Protome Mercurii, prominente caduceo, pone alphabeti litera. C. MAMIL. LIMETAN. Vir curto habitu, tectus, pileo rotundo s. scipionem tenens, graditur, ei adblanditur canis. *Serratus.* *Restitutus, a Trajano.*
PAPIA.	Caput Mercurii, pone caduceus. CELSVS. L. PAPI. Lyra. *Quinarius.*
SEPULLIA.	Caput Mercurii, pone HS. P. SEPVLLIVS. Caduceus. *Sestertius.*

BACCHUS.

Bacchus, seu Dionysos et Indicus est, et Thebanus. Constat, Deum priscis temporibus vim generandi indicasse, atque agrorum et vini culturae auctorem, ac eum observatum esse, qui homines, legibus iis datis, consociaret. Profecta est haec notio ex Oriente, ex quo hominum rerumque cultura paullatim alias terrae regiones intravit. Vetus narrat fabula, Jovem, assumta draconis specie, cum Persephone congressum esse et filium genuisse tauriformem, Bacchum. Unde, et quod agriculturae inventor habebatur, non solum Bacchus Indicus, aut Bassareus, barbata specie sistitur, cum tauri cornibus, sed etiam in Campania aliisque vicinis regionibus et Sicilia, sub nomine Hebon cultus, bos cum capite virili barbato

repraesentatur in numis illorum regionum. Cum deinde Bacchi religio et sacra Thebas Graecorum intrarent, in terris Boeoticis Deus denuo juventute donatus est, orta de eo fabula, Jovem eum genuisse cum Semele. Nunc in Graecia juvenis et formosus exprimebatur, et omnia, quae de Baccho Indico narrata erant, in Thebanum translata sunt.

A Latinis Bacchus, Liber Pater appellabatur, et in ejus honorem Liberalia celebrabantur. Illa in locum Bacchanalium inducta fuerunt, ne sacra Bacchi in totum abrogarentur. Bacchanalia enim, accita ex Etruria, Romae Senatusconsulto interdicta erant, quia tum temporis tali furore agebantur, ut omni genere turpitudinis corrupta essent.

In nostris numis multa de Baccho. Titii Denarius alter Bacchum Indicum habet, barbatum, senili ore, alis ornatum. Tauri cornua, quibus alias ornatur, in Titii numo in alas mutata sunt, sine dubio ea de causa, ut et his, eum in India ortum esse, indicaretur, cum Gryphi, Sphinges, aliaque ex Oriente allata, alis instructa erant. Alteri Titii Denario Bacchus juvenis, Thebanus, datus est. Is quoque comparet in Denariis Vibii et Volteji. Conjuncta est in iis cum Baccho Ceres, inter quos summus est nexus, utrumque enim numen homines a fera vita ad meliorem statum perduxisse dicitur, cultura agri atque legum constitutione.

Cassii Denarius sistit Bacchi caput hedera et corymbis redimitum, cum thyrso, quocum jure conjungitur Bacchae caput, Bacchae enim, seu Maenades et Thyades, comites sunt Bacchi. Bacchus cum sagittis, coronatus a Minerva, in Denario Cornelii Blasii, respicit ad victoriam Bacchi de Titanibus deportatam. Bacchus sagittas tenens etiam in argenteis aeneis Maroneae Thraciae obviis.

Ad Liberalia, tam in urbe quam rure celebrata, spectant personae in Vibii Denariis. In urbe hoc processit XVI Calendis Aprilis, die 17 mensis Martii, *Ovidius*, Fast. III, 713, quo etiam juvenes Romani, annum aetatis decimum sextum ingressi, in numerum civium recepti sunt, et togam praetextatam deponebant atque induebant togam virilem. Ruri tempus vindemiae huic festo destinatum erat. Tunc laetitia exultabant coloni, personis inducti, carmina decantabant, et Baccho hircos sacrificabant, simulque oscilla arboribus suspendebant. Pantheres et Trigides sacri erant Baccho, ideo in numis Vibii et Carisii hae belluae afferuntur.

Inter comites Bacchi etiam fuit *Silenus*, qui ejus praeceptor et educator fuisse dicitur. Unde et in nostris numis non deest Silenus, ut in Marci Censorini Denario. Silenus frequens typus in Macedonum numis, sicut in moneta coloniarum Romanarum, de qua re audiendus est *Eckhel* Doct. Num. Vet. Vol. IV, pag. 493. Capita juncta Silenorum habent numi Thasus insulae.

Sphinx in Denario Carisii allata etiam ad Bacchum pertinet, et Baccho sacrum fuit. Hoc animal fabulosum symbolum fuit mysteriorum Bacchi, et Genius aut Cherubim, qui sacra custodiret. Inter numos Graecorum inprimis Chiorum typus est Sphinx.

FAMILIAE NOMEN.	NUMI.
TITIA.	Caput Bacchi barbatum cum diademato alato. Q. TITI. Pegasus volans. *Restitutus a Trajano.*
TITIA.	Caput Bacchi hedera redimitum. Q. TITI. Pegasus volans. Similis cum equite togato citato cursu, in aversa. As cum illa epigraphe, vid. *Pondera.*
VIBIA.	Caput Bacchi hedera redimitum. C. VIBIVS. VARVS. Pantheriscus ad aram adsiliens, super qua persona et juxta thyrsus.
VIBIA.	Caput Bacchi. PANSA. C. VIBIVS. C. F. C. N. Ceres gradiens, in manibus taedas, ante eam aratrum. Vid. et *Ceres.*
VIBIA.	Caput Bacchi. PANSA. C. VIBIVS. C. F. C. N. Ceres vecta in draconum bigis. Vid. et *Ceres.*
VOLTEIA.	Caput Bacchi hedera et corymbis redimitum. M. VOLTEI. M. F. Ceres ardentes taedas praetendens, in draconum bigis, pone astrum. Vid. et *Ceres.*
CASSIA.	Caput Bacchi hedera et corymbis redimitum, pone thyrsus. Caput Bacchae, pampinis coronatum. L. CASSI. Q. F.
CORNELIA.	Bacchus adversus nudus stans, d. thyrsum, s. strophium seu fascem sagittarum, quem adstans ad sinistram Pallas coronat, alia mulier ad dextram stans, d. hastam puram tenet, in imo ROMA. CN. BLASIO. CN. F. Caput Martis, superne X, juxta caduceus. Vid. et *Mars.*
MARCIA.	Silenus, Bacchi comes, stans dextra elata, rejecto post tergum utere, pone columella, cui insistit simulacrum. L. CENSOR. Caput Apollinis laureatum. Vid. et *Apollo.*

VIBIA.	Persona Fauni, pone pedum. PANSA.
	C. VIBIVS. C. F. C. N. — IOVIS AXVR. Juppiter Axur sedens. Vid. et *Juppiter*.
VIBIA.	Persona Fauni, hedera et corymbis redimita. PANSA.
	Persona Fauni, prae quo tibia vel aliud. C. VIBIVS. C. F.
VIBIA et	Persona Fauni. C. PANSA.
CORNELIA.	ALBINVS. BRVTI. F. Duae dexterae junctae caduceum tenent.
CARISIA.	Caput Fauni.
	Tigris cum thyrso. T. CARISIVS.
CARISIA.	Caput Fauni.
	Tigris cum thyrso.
	Sestertius.
CARISIA.	Sphinx sedens. T. CARISIVS. IIIVIR.
	Caput muliebre crinibus fascia colligatis.

HERCULES.

Hercules Jovis et Alcmenae filius dicitur. Virtutis ac fortitudinis symbolum fuit. Multis et eximiis factis praeclarus, in quibus acriter se praestitit, inprimis duodecim laboribus seu aerumnis praeclarus, ab Eurystheo, Mycenarum regi, ei impositos.

A Romanis priscis jam temporibus, sub Romulo, cultus est Hercules, qui ei Graeco ritu sacra fecit, ut ab Evandro instituta erant. *Livius* I, 7. Deinde sub libera republica multa Herculis templa Romae exstructa sunt.

Pingitur Hercules vir fortis, robustus, clavam tenens, et leonis exuviis indutus. Tali modo quoque in nostris numis, in quorum nonnullis caput exuviis leonis tectum, in aliis barbatus, in aliis imberbis effictus. In Vibii Denario Pallas Nicephora cum Herculis effigie conjuncta est, respectu sine dubio Herculis Victoris, qui Romae cultus est et aedes habuit duas, alteram ad portam trigeminam, alteram in foro boario. *Macrobius* Saturnal. III, 6. Exprimitur Hercules ille quoque in Antii Denario, gradiens, dextra erecta clavam tenens, sinistra tropaeum cum leonis exuviis. Victor autem, seu triumphalis, appellabatur ob caesum Cacum. Cacus enim, ut *Livius* I, 7, narrat, in Latio Herculi boves furatus est, quos vero, caeso Caco, heros recuperavit, ac propterea Jovi aram posuit, bovemque immolavit, quo facto Evander, horum locorum rex, Herculi divinos honores habere coepit, de quo etiam *Ovidius*, Fast. I, 579 seq.

Immolat ex illis taurum tibi, Juppitur, unum,
Victor, et Evandrum ruricolasque vocat.

Constituit sibi, quae maxima dicitur aram,
Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

Illa ara maxima in altero Antii Denario et in Quinario ejusdem viri monetalis occurrit, caput vero tauri cum infulis in eorum antica, respicit ad taurum Jovi ab Hercule mactatum.

Volteji Denarius sistit in aversa aprum Erymanthium, quem Hercules agros Arcadiae devastantem occidit. Alter Herculis labor, interfectio leonis Nemaei, comparet in Denario Poblicii. Denarius Eppii sistit Herculem Farnesium. Romae quoque comes et dux Musarum cultus est Hercules, quem Denarius Pomponii profert, de quo deinde inter numos cum Musis sermo erit.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
CORNELIA	Protome Herculis juvenis cum clava et leonis exuviis, infra ROMA. In area clypeus et solitaria litera alphabeti jam Graeci, jam Latini.
	LENT. MAR. F. Figura alte succincta stans capite turrito, d. hastam, coronatur ab adstante viro seminudo s. cornucopiae tenente. In area eadem litera, quae in antica.
	Sensus hujus typi obscurus.
QUINCTIA.	Protome Herculis laureata, pendentibus ab humero leonis exuviis, eminente sursum clava.
	TI. Q. Desultor cum binis equis citato cursu; humi repit mus, supra variantes alphabeti literae, infra basis, in qua literae insculptae sunt introrsum, D. S. S.
	Hae literae, etiam in aeneis Cassii et Oppii Salinatoris navi insculptae, interpretem adhuc expectant. Leguntur a nonnullis: De Senatus Sententia.
	Semis et Quadrans cum T. Q. vid. *Pondera.*
VIBIA.	Caput Herculis barbatum laureatum.
	C. VIBIVS. VARVS. Pallas Nicephora stans.
	Vid. et *Pallas.*
DOMILIA.	Caput Herculis barbatum. OSCA.
	DOM. COS. ITER. IMP. Instrumenta pontificialia.
VOLTEJA.	Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum.
	M. VOLTEI. M. F. Aper Erymanthius.
CAECILIA et EPPIA.	Hercules Farnesius stans s. clavae innixus. EPPIVS. LEG. F. C.
	Q. METELL. SCIPIO. IMP. Caput muliebre elephanti exuviis tectum.
	Vid. et *Genii Locorum.*
	EPPIVS. LEG. in Asse, vid. *Pondera.*

ANTIA.	Hercules nudus gradiens, d. clavam sublimem gestat, s. tropaeum et exuvias leonis. C. ANTIVS. C. F. RESTIO. Caput virile imberbe nudum.
ANTIA.	RESTIO. Ara luculenta. L. ANTIVS. Caput bovis cum infulis. *Quinarius.* Similis Denarius.
POBLICIA	Hercules stans, leonem suffocat, in area arcus et pharetra, in imo clava, superne litera alphabeti. C. POBLICI. Q. F. Caput muliebre galeatum, superne eadem litera, quae in antica; juxta ROMA. *Serratus.* Vid. et *Virtus.* Hercules Musarum, vid. *Musae.* Hercules etam in Antii Denario cum Penatibus in aversa. Vid. *Dioscuri.* Caput Herculis quoque in Denario Sullae. Vid. *Historici.*

MUSAE.

Jovis ac Mnemosynes filiae, artium ac scientiarum praesides. A Latinis Camenae dictae. Originem ducunt ab Orphei religione. E Thraciae regionibus primo Boeotiam intrarunt, deinde et alias Graeciae terras. Via illa, quam Musae sibi aperuerunt in Graecia, quibus nempe in locis cultus earum paullatim acceptus est, et ex uno in alterum processit, denotat, quomodo sensim sensimque incolae a fera et agresti vita ad meliorem statum traducti, atque artium ac scientiarum auxilio ad humanum civilemque cultum elati sunt.

In Helicone, referente *Pausania*, IX, 29, Ephialtes et Otus primo Musis sacra fecerunt, iisque montem illum consecrarunt. Tres numero Musas religione sanxerunt, *Meleten*, meditationem, *Mnemen*, memoriam, *Aoeden*, cantionem. Postea Pierus, Macedo, instituit, ut novem colerentur Musae, secutus in ea re Thracum religionem. Helicon, Pindus, Parnassus iis imprimis consecrati fuerunt.

Priscis temporibus omnium sententia erat, novem Musas negotia a theologis atque poetis iis demandata, communiter ac conjunctim conficere, neque singulis certa negotia delata erant. Seriorum igitur temporum inventum est, cuivis certam provinciam, certum attributum adjudicare. Tamen veteres in eo non semper sibi constabant, et saepius in attributis variant. Testantur hoc poetarum descriptiones, ut apud *Ausonium*, Id. XX; et

in epigrammatibus Graecis in *Jacobs* Anthologia Graeca, Tom. III, pag. 214, 220. Testantur hoc quoque artium opera, sarcophagus a *Spohnio* vulgatus, picturae Herculanenses, statuae in Musaeo Pio Clementino, aliaque, sic ut typi in Denariis Pomponii.

Romae, sine dubio, cultus Musarum primo accitus est ex Ambracia per M. Fulvium, anno V. C. 568, qui statuas Musarum et Herculis Musagetae signum ex illa urbe Romam deportavit. Fulvius, cum de Aetolis triumpharet, illos statuas secum Romam duxit. De illa re imprimis *Eumenius*, Oratio de scholis instaurandis c. 7, sic: Aedem Herculis Musarum in circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit, non id secutus, quod ipse literis et summa poetae amicitia duceretur, sed quod in Graecia, cum esset imperator, acceperat Herculem Musagetem esse, id est, comitem ducemque Musarum, idemque primus novem signa, hoc est, omnium Camenarum ex Ambracensi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis consecravit, ut res est, quia mutuis opibus et praemiis juvari ornarique deberent, Musarum quies defensione Herculis, et virtus Herculis voce Musarum. Conf. *Livius* XXXVIII, 9. Templum Fulvii Nobilioris deinde, vetustate collapsum, a Marco Philippo, Augusti vitrico, restitutum est, ut *Suetonius*, August. 29, refert. In Acarnania Herculem Musarum observatum esse, testes sunt Leucades numi, quorum anticae Dei caput inest, lyra vero in aversa omnino Musarum ducem denotat.

Nullum est dubium, typos in Pomponii Musae Denariis mutuatos esse ex signis Ambracensibus, illaque eodem modo efficta fuisse, ut picturae in Denariis. Pomponius vero non alia causa, quam propter cognomen Musa, suos numos Musarum statuis ornavit. Sentiunt nonnulli, vocem Musa ad Musas in Denariis propositas referendam esse, sed cognomen Pomponii indicare et ex eo apparet, quod etiam Apollinis capiti adjectum est in Denario, cujus aversa Herculem Musagetem sistit.

Qui Musarum chorum ducunt, apparent in primo illorum numorum, Apollo Musageta in antica, caput ejus nempe diadematum, in aversa Hercules Musarum lyra canens. Sequuntur nunc Musae. Anticae pars constanter praefert caput muliebre laureatum semper eodem cultu ac modo effictum, non Musa, quod plerique censent, non Moneta, ut alii sentiunt, sed Musarum mater, Mnemosyne. Et sic optime antica cohaeret cum partibus aversis numorum.

Singulae Musae per attributa sua distinguuntur. Tenendum vero, in his definiendis, me non semper *Havercampo* in explicatione iconum *Morellii* adsentiri. *Clio* (*Morell.* I, 5), quae canens gesta transacti temporis edit, tenet volumen. *Urania* (*Morell.* II, 1) coelestium rerum Musa, radio tangit globum tripodi impositum. *Erato* (*Morell.* II, 2)

elegiaci ac lyrici carminis inventrix, stylum seu graphium habet in dextera. *Melpomene* (*Morell.* II, 3.), tragicae artis praeses, altera manu tenet personam tragicam, altera clavam. *Thalia* (*Morell.* II, 4.), quae comico sermone gaudet, personam comicam gestat. *Polyhymnia* (*Morell.* II, 5.), multa et varia ex omni carminum genere canens, lyra et plectro instructa est. *Terpsichore* (*Morell.* II, 6.), tibiarum inventrix, tibias praefert. *Euterpe* (*Morell.* III, 3.), carminum moderatrix, lyrae chordas intendit. *Calliope* (*Morell.* III, 4.), quae libris carmina heroica mandat, citharam tenet.

Etiam sigilla in antica Denariorum Pomponii observanda sunt, sensus eorum enim clare perspicitur, qui ex aliis numorum sigillis raro elucet. Minime respiciunt ad caput Mnemosynes, cui adjecta sunt, sed semper respondent Musis in aversa propositis, unde et ad explicandas earum imagines multum faciunt. In Denario, in quo se sistit *Clio*, sigillum est *volumen*. *Uraniae* Denarius in area *astrum* habet. Cum *Erato* conjuncta est *corolla*, qua ornantur poetae. *Melpomene* praefert *sceptrum*, tragoediae proprium; *Thalia*, *calceum* quo usi sunt veteres in comoedia, sicut cothurno in tragoedia; *Polyhymnia*, *testudinem*, e qua prima facta est lyra; *Terpsichore*, tibias decussatim positas. Sigillum in *Euterpes* Denario sine dubio est *malleolus musicus* ad chortas dirigendas. Cum *Calliope* consociata est *tuba*.

Musae quoque imago in P. Clodii Denario se sistit, quam Musam esse lyra adstituta persuadet.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
POMPONIA.	Caput Apollinis Musagetae diadematum, crinibus per cincinnos dependentibus. Q. POMPONI. MVSA. Hercules Musageta stans cum attributis, exuviis leonis et clava, lyra canit. HERCVLES. MVSARVM.
POMPONIA.	Caput matris Musarum, Mnemosynes laureatum, juxta *volumen*. *Clio* stans, d. volumen tenet, sinistra columnae innititur. Q. POMPONI. MVSA.
POMPONIA.	Caput Mnemosynes laureatum, juxta *astrum*. *Urania* stans, radio globum coelestem tripodi imposito tangit. Eadem epigraphe.
POMPONIA.	Caput Mnemosynes laureatum, pone *corolla*. *Erato* stans, sparsis capillis, dexteram quiete tenet, s. graphium demissum habet. Eadem epigraphe.

POMPONIA. Caput Mnemosynes laureatum, pone *sceptrum*.
Melpomene stans, altera manu tenet larvam tragicam, altera clavam. Eadem epigraphe.

POMPONIA. Caput Mnemosynes laureatum, pone *calceus*.
Thalia stans, d. larvam comicam s. columnae innixa. Eadem epigraphe.

POMPONIA. Caput Mnemosynes laureatum, pone *testudo*.
Polymnia stans, d. lyram s. plectrum. Eadem epigraphe.

POMPONIA. Caput Mnemosynes laureatum, pone *tibiae decussatim positae*.
Terpsichore stans, d. duas tibias tenet, s. caput suffulcit. Eadem epigraphe.

POMPONIA. Caput Mnemosynes laureatum, pone *malleolus musicus* ad chordas dirigendas.
Euterpe toga induta, d. chordas citharae, columnae impositae intendit, ut harmonice cantu sonent. Eadem epigraphe.

POMPONIA. Caput Mnemosynes laureatum, pone *tuba*.
Calliope adversa stans, citharam tenet et tangit. Eadem epigraphe.
In numis, quos *Morellius*, in familia Pomponia II, B, et III, 1. affert, sistitur Polymnia, sigillum vero *tubae*, Calliope proprium, adest in antica. His in numis, sine omni dubitatione, typi permutati sunt, sumta antica ex Calliopes numo, aversa ex numo Polymniae. Typorum permutatio etiam in Denario apud *Morellium* III, 2. locum habet, antica sumta ex altero Pomponii Denario, caput nempe Jovis, conjuncta cum Melpomene.

CLAUDIA. Caput Musae laureatum, pone lyra.
P. CLODIVS. M. F. Diana stolata stans, utraque manu facem oblongam tenet.
Vid. et *Diana*.

DIOSCURI SEU PENATES.

Cabiri, ex Samothrace et Phrygia Graeciam acciti, ibi mutabantur in Dioscuros. Castor et Pollux appellabantur. Fuerunt Dioscuri, ex sententia nonnullorum, Jovis et Ledae, Tyndari Spartanorum regis uxoris, progeniti, alii vero dicunt, Polluoem Jovis filium, Castorem Tyndari, unde Pollux, divino semine natus, immortalis, Castor mortalis judicatus est. Dioscuri frequenter sunt in numis Graecorum. In Italiam ex Phrygia traducti sunt et iidem cum Penatibus habiti, probante *Eckhelio* D. N. V. Vol. V, 319. Penates Lanuvii inprimis observabantur, unde cultus eorum Romam intravit.

A Romanis jam ab initio reipublicae magni aestimabantur Dioscuri, Dei tutelares ac patrui, nec non familiarum numina, quae sub Penatium nomine in aedibus adservabantur et colebantur. Quare et Dioscuri status typus monetae argenteae antiquae Romanorum adoptatus est, quare et multorum recentiorum Denariorum typi ex Dioscurorum mythis depropti sunt.

Pinguntur juvenes robusti, formosi, interdum laureati, interdum cum pileis Phrygeis, saepe hastas tenentes et equitantes, capitibus astris imminentibus. Capita jugata laureata vidimus in Denariis Antii, Sulpitii, Manii Fonteji. Cum pileis phrygeis in Manii Cordii Denario.

Dioscuri paludati et hastati stantes, jacentem in medio scrofam dextra demonstrantes, in aversa Denarii Sulpicii, adludit, ad factum ab *Aurelio Victore* narratum, Orig. gent. Rom. cap. 11. 12. Scrofam, dicit, quam Aeneas in Italiam appulsus, immolare parasset eripuisse se manibus ministrorum, et in eo loco, ubi Lavinium conditum est, triginta porculos peperisse, Aeneam vero, qui propter agri sterilitatem ibi urbem condere metuisset, per quietem Deorum Penatium simulacra vidisse, quae adhortarent, ut perseveraret in condenda urbe, quam coeperat.

In alio Sulpiciae gentis Denario Castor et Pollux nudi stantes expressi sunt. In Memmii Denario stantes cum suis equis picti.

Romanis Dioscuri praecipue cari fuerunt, quia jam primis regni temporibus iis auxilio parati fuerunt. In proelio enim cum Latinis ad lacum Regillensem, anno V. C. 258. in quo Dictator Aulus Postumius victoriam deportavit, in acie Dioscuri conspecti, summa virtute pro Romanis pugnabant. *Aurelius Victor* in libro de viris illustribus, cap. XVI, narrat de hac re. „A. Postumius, Dictator dictus, apud Regilli locum cum hostibus conflixit. Ubi cum victoria nudaret, Magister equitum equis frenos detrahere jussit, ut irrevocabili impetu ferrentur, ubi et aciem Latinorum fuderunt, et castra ceperunt. Sed inter eos duo juvenes candidis equis insigni virtute apparuerunt, quos Dictator quaesitos, ut dignis honoribus honoraret, non reperit, Castorem et Pollucem ratus, communi titulo dedicavit. Visi sunt deinde Dioscuri in urbe, equos ad fontem lavare et victoriam narrare, quo deinde oculis subducti sunt. „Ab illo inde tempore cultus Dioscurorum in urbe inclarescere coepit, et Dictator Aulus Postumius templum iis vovit, quod vero demum a filio dedicatum est. *Livius* II, 42.

Adventus ille Dioscurorum ex pugna in urbem eorumque statio ad fontem, adumbratur in Denario Postumii Albini, ibique pariter proponitur in honorem Dioscurorum et in memoriam Auli Postumii.

In aversa Servilii Denarii apparent Dioscuri in diversum equitantes. Hac pictura adluditur ad fatum Dioscurorum, quo, cum supremus Castoris dies adesset, et Pollux immortalitatem suam cum eo partiri vellet, decretum a Diis, ut alternis diebus in Olympo viverent, alternis in Orco.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
ANTIA.	Capita Penatium jugata laureata. DEI. PENATES. C. ANTIVS. C. F. Hercules nudus gradiens.
SULPICIA.	Capita Penatium jugata laureata. D. P. P. C. SVLPICI. C. F. Penates paludati et hastati stantes, jacentem in medio scrofam dextra commonstrant. Superne varians litera alphabeti. *Serratus.*
SULPICIA.	Capita Penatium jugata pileata laureata, astro singulis imminente. L. SERVIVS. RVFVS. Moenia civitatis, cujus portae inscriptum TVSCVL. *Aureus.*
FONTEJA.	Capita Penatium jugata laureata imminentibus astris, in area X, et in nonnullis P. P. MAN. FONTEI. Navis, quam gubernator sedens moderatur. In area literae alphabeti et globuli. As cum MAN. FONT. vid. *Pondera.*
CORDIA.	Capita Dioscurorum cum pileis Phrygeis laureatis, imminentibus astris. RVFVS. IIIVIR. MAN. CORDIVS. Mulier stans, cujus humero noctua insidet d. bilancem, s. hastam transversam. Vid. et *Aequitas.*
SULPICIA.	Dioscuri nudi hastati stantes, imminente astro singulorum capiti laureato pileato. L. SERVIVS. RVFVS. Caput modice barbatum. *Restitutus a Trajano.*
MEMMIA.	Dioscuri hastati stantes cum suis singulis equis, capitibus pileo laureato tectis imminentibus astris. L. MEMMI. Caput virile imberbe corona querna redimitum, pone X. Semis et Quadrans cum illa inscriptione, vid. *Pondera.*
POSTUMIA.	Dioscuri stantes equos suos ad fontem potant. A. ALBINVS. S. F. in area lunula. Caput Apollinis laureatum in area astrum et X, infra ROMA.

SERVILIA. | Dioscuri in diversum equitantes. C. SERVILI. M. F.
Caput Palladis alatum, retro corona et X, infra ROMA.
Similis aureus.
Quadrantes cum eadem epigraphe, vid. *Pondera.*

AESCULAPIUS.

Duos primitus Aesculapios observatos esse constat. Alter Apollinis et Coronidis filius, in Thessalia natus, alter Epidauri ortus, Arsippi et Arsinoes filius, qui vero in eo conveniunt, quod uterque a Chirone medicinam didicisse fertur. Hoc deinde in unum transit, medicinae praeses factus, cujus sacra potissimum Epidauri celebrabantur, ubi in luco sacro nobile et inclitum templum ei dedicatum erat.

Romam accitus est Aesculapius anno V. C. 461, cum triennio continuo civitas pestilentia vexata fuit. Cura sacerdotum, narrante *Valerio Maximo*, I. VIII, 2, inspectis libris Sybillinis, animadvertit, non aliter pristinam recuperari posse salubritatem, quam si ab Epidauro Aesculapius esset accersitus. Quod etiam factum est. Et Deo serpentis specio ab Epidauro navi in urbem advecto, in insula Tiberina templum aedificatum est.

De adventu Romam Aesculapii *Aurelius Victor*, de viris illustribus, Cap. XXII, sic: Romani ob pestilentiam responso monente ad Aesculapium Epidauro arcessendum, decem legatos principe Q. Ogulnio miserunt. Qui cum eo venissent, et simulacrum ingens mirarentur, anguis e sedibus ejus elapsus, venerabilis, non horribilis, per mediam urbem cum admiratione omnium ad navem Romanam perrexit, et se in Ogulnii tabernaculo conspiravit. Legati Deum vehentes, Antium provecti sunt, ubi per molitiam maris anguis proximum Aesculapii fanum petiit, et post paucos dies ad navem rediit, et cum adverso Tiberi subveheretur, in proximam insulam desiluit, ubi templum ei constitutum et pestilentia mira celeritate sedata est.

Unde et in nostris numis non humana specie pingitur Deus, sed typis adluditur ad symbolicam mythorum rationem. Vidimus in Rubrii Quinariis aram, super qua ovum dimidiatum, cui serpens obvolvitur. Habent hoc quoque Asses Rubrii et Eppii. Serpens ovo implexus adludit ad veterem quandam fabulam, Aesculapii serpentem, aut Deum ipsum cornicis ovo involutum fuisse. Plura de hac re vide apud *Eckhelium*, D. N. V. Vol. V. pag. 207.

Aesculapii adventum in urbe eleganter describit *Ovidius*, Metamorph. XV, v. 622 — 744.

In Graecorum moneta Aesculapius humana specie exprimitur, senex et barbatus, sic etiam in Epidauri numis. Sed et imberbis pictus est. Quod e *Pausania* constat, qui II, 13. narrat, apud Phliasios in Achaja signum Aesculapii imberbis stetisse, et *Pellerinus* affert hujus urbis numum cum capite Aesculapii, tali modo effícto.

FAMILIAE NOMEN.	*NUMUS.*
RUBRIA.	Victoria gradiens s. oblongum palmae ramum super humero tenet, pro pedibus ara, super qua ovum dimidiatum, cui serpens obvolvitur. L. RVBRI. DOSSEN. Caput Neptuni. *Quinarius.* Vid. et *Neptunus.* Asses cum eadem epigraphe et simili typo, vid. *Pondera.*

TERMINUS.

Terminus Romae jam sub Numa Deus cultus est, rex enim unumquemque fundos suos limitibus circumscribere jussit, sacrosque lapides finibus apponere. Illos Jovi Terminali sacravit, in cujus tutela agrorum fines erant. Erexit quoque sacellum Termino in colle Tarpejo. Lapides illi sacri initio erant quadrata forma, deinde imponebatur Dei caput, et nunc saepius sub forma stipidis erigebantur, similis Hermis Graecorum.

Plerumque istud caput barbatum est, aspectu Jovi simile, quomodo sistitur in Denariis Terentii et Metelli, interdum vero et juvenis proponitur, quem habent Denarii Pisonis Frugi, in quorum altero signum Termini cum diademate alato, sub hermae forma apparet, in altero caput Termini cum diademate alato.

FAMILIAE NOMEN.	*NUMI.*
CALPURNIA.	Caput Dei Termini juvenile diadematum. M. PISO. FRVGI. Paterna et secespita, intra lauream.
CALPURNIA.	Signum Termini, hinc corona, illinc capeduncula. M. PISO. FRVGI. Idem typus.
CAECILIA.	Caput Jovis terminalis, laureatum, barba et capillis per cincinnos pendentibus. Q. METEL. PIVS. SCIPIO. IMP. Elephas.

TERENTIA et POMPEJA.	Caput barbatum diadematum instar Termini. VARRO. PRO. Q. MAGN. PRO. COS. Aquila et delphinus, medio inter hos sceptro erecto.

F L O R A.

Flora, Zephyri conjux, florum Dea observata est. Ejus cultus, *Varrone* teste L. L. IV, 10, jam Romuli aetate a Tatio, Sabinorum rege, Romam accitus est. Deinde aedes ei constituta fuit juxta Circum Maximum a L. et M. Publiciis. *Tacitus*, Annal. II, 49.

In ejus honorem et ad celebrandum verni temporis reditum, Romae Florealia instituta sunt, edita initio mensis Maji. Factum hoc est primo, ut Servilii Denarius docet, a C. Servilio quodam. In illo Denario caput Florae, ut justum, floribus ornatum proponitur. Sed et alius Denarius, Claudiae nempe gentis, Florae caput tali modo vestitum sistit.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
SERVILIA.	Caput Deae Florae, floribus ornatum, pone lituus. FLORAL. PRIMVS. C. SERVEILI. C. F. Duo milites armati et adversi stantes, pugiones eductos conferunt.
CLAUDIA.	Caput Florae floribus redimitum, pone flos. C. CLODIVS. C. F. VESTALIS. Mulier velata sedens, d. simpuvium.
	Similis *aureus*.
	Vid. et *Vestalis*.

V I C T O R I A.

Victoria Pallantis et Stygis filia dicitur. Tamen et e Pallade orta fertur, quae omnino mater victoriae est.

Romae plura Victoria habuit templa, et summo in honore fuit, et magni aestimabatur a populo belli expeditiones amante. Unde et in numis nostris saepius expressa est. Vidimus eam in Denariis et Quinariis priorum temporum, vel in bigis, vel in quadrigis, vario cultu, cum palmae ramo aut tropaeo. Sistitur stans in Quinariis antiquis, tropaeum coronans, qui inde Victoriati appellabantur. In numis recentioribus effingitur virginali habitu, humeris alatis, crinibus in occipite in nodum colligatis.

FAMILIAE NOMEN.	N U M I.
CARISIA.	Protome Victoriae humeris alatis. Victoria in citis bigis. T. CARISI.
CARISIA.	Protome Victoriae, pone S. C. Victoria in citis quadrigis. T. CARISI.
MUSSIDIA.	Protome Victoriae. Victoria in citis bigis. L. MVSSIDIVS. LONGVS.
VALERIA.	Protome Victoriae, pone varians litera alphabeti, aut minutum aliquod sigillum. C. VAL. FLA. IMPERAT. EX. S. C. Aquila legionaria inter duo signa militaria, quorum uni inscriptum H. alteri P.
VALERIA.	Protome Victoriae, in area X. L. VALERI. FLACCI. Mars stans d. hastam, s. tropaeum, hinc apex, illinc spica. Vid. et *Mars*.
VALERIA.	Protome Victoriae. ACISCVLVS. Malleus in cuspidem desinens. *Quinarius.*
PAPIA.	Caput Victoriae. L. PAPIVS. CELSVS. Virgo Lanuvina serpenti pabulum praebens. *Quinarius.*
TITIA.	Protome Victoriae. Q. TITI. Pegasus volans. *Quinarius.*
NUMONIA.	Caput Victoriae. C. NVMONIVS. VAALA. Miles vallum castrorum oppugnat, intus binis illud defendentibus. *Aureus.* Vid. et numi *Historici*.
	Protome Victoriae quoque in Caesaris Denario aureo, gentis Munatiae.

AURORA.

Aurora, Hyperionis et Thiae filia, picta sistitur alata, mox in biga, mox in quadriga, equos suos freno cohibens. Rarius uno equo vecta comparet. In Plaucii Denario quatuor equos junctos habet.

FAMILIAE NOMEN.	NUMUS.
PLACTIA.	Aurora alata quatuor equos junctos ducens. PLANCVS. L. PLAVTIVS. Persona muliebris, intextis capillitio serpentibus. Vid. et *numi Historici.*

SIBYLLA.

Omnes pene populi veteres feminas vates magno in honore habuerunt, quibus, Pausania teste, X, 12, a Libyis jam Sibyllarum nomen inditum est. Apud Graecos Delphica Sybilla, Herophile, inprimis clara fuit, quae etiam in numo, qui Delphis tribuitur, signata est. *Eckhel* Doct. Num. Vet. Vol. II. pag. 194. A Romanis vero Cumana, Deiphobe, venerabatur. Illa Tarquinio Prisco libros Sibyllinos obtulit, qui in Capitolio adservabantur, et dubiis reipublicae rebus consulebantur. Illius Sibyllae caput se sistitur in numo M. Torquati, cum quo tripus aversae optime cohaeret.

FAMILIAE NOMEN.	NUMUS.
MANLIA.	Caput Sibyllae. SIBVLLA. L. TORQVAT. IIIVIR. Tripus, super quo diota inter duo astra. Similis, sed in antica et aversa omnia intra torquem.

MEDUSA.

Medusa, Gorgonum una, semper, ut etiam in nostro Denario, cum capite serpentibus revincto et alato effingitur. Cum illa rite componitur Pegasus, quem ex sanguine ejus ortum esse fabulatur. Bellerophon autem vectus Pegaso proponitur, quo, accepto a Minerva aliisque Diis, usus est, ut in Lyciam se converteret et Chimaeram debellaret, quae illas regiones devastaret. Medusa in argenteis Larissae Thessaliae saepius occurrit. Sic quoque invenitur in argenteo insulae Rhodus.

FAMILIAE NOMEN.	NUMUS.
COSSUTIA.	Caput Medusae diadematum alatum, serpentibus revinctum. SABVLA. L. COSSVTI. C. F. Bellerophon Pegaso vectus hastam intorquet. In area variae notae arithmeticae.

SIRENE.

Sirenes mulieres progenitae ab Achelao et Musarum una, aut Melpomene, aut Terpsichore, aut Calliope, dicuntur, quarum sedes in insula quadam maris Siculi. Sirenes, Deae canentes, Graeco intellectu, ut *Macrobius*, Somn. Scip. II, 3, dicit, propter illecebres cantus amabiles habebantur, simul navigantibus perniciosae erant, qui incauti in insidias eorum inciderunt. Tres fuisse fertur Sirenes, quarum una voce, altera tibiis, tertia lyra canebat.

Effingitur Sirene, ut et noster Denarius docet, virginali specie, inferne in volucrem desinens, nexis in humero alis, tubasque in cantum praeferens.

FAMILIAE NOMEN.	*NUMUS.*
PETRONIA.	Sirene stans, singulis manibus singulas tubas tenet. P. PETRON. TVRPILLIAN. IIIVIR. CAESAR. AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

SCYLLA.

Scylla horridum monstrum marinum, secundum Homerum Crataeis filia, duodecim habens pedes, sex colla praelonga et totidem capita. A posterioribus Graecis vero, ut adspectu jucundior reddatur, virginali forma donata est, desinens in delphinos. Haec etiam est Scyllae imago in nostro Denario, quae cum *Virgilii* versibus, Aeneid. III, 428 optime conspirat.

Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo.
Pube tenus, postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Scylla, eodem modo picta, in numo Tarsi Ciliciae sistitur, qui signatus est Gordiano imperium tenente, cum ejus imagine.

FAMILIAE NOMEN.	*NUMUS.*
POMPEJA.	Scylla canibus succincta sublato remo ictum intentat. PRAEF. CLAS. ET. ORAE. MARIT. EX. S. C. MAG. PIVS. IMP. ITER. Triremis, supra quam turricula rotunda, cui superne insistit Neptunus.

PANTHEON.

Panthea apud Graecos et apud Romanos culta fuisse, antiquitas testatur, et multa talia sigilla venerunt ad tempora nostra. Plura affert Comes de *Caylus*, in opere: Recueil d'Antiquites.

Orta esse Panthea videntur ex eo, quod multa numina, quae separatim observabantur, ex uno Deo profecta erant. Varia enim Dei beneficia, varia ejus potentia, variis nominibus celebrari et pro Diis diversis haberi in usu fuit, qui vero denuo in unum numen reducti sunt. Etiam Dianae Ephesiae signum Pantheon tale fuisse, non dubitandum, in quo symbola variorum numinum coalescunt. Turrita effingitur, ut Cybele seu Rhea, lunam bicornem gestat, ut Selene, boum capita, fructus, varia animalia, encarpi et flores varii generis, quibus ornata est, ad Cererem spectant et Bacchum, mammarum copia omnium rerum nutricem atque fertilitatem declarat. Naturae igitur symbolum, mater omnium rerum observata est.

Romani et in his Graecos imitati, quoque Panthea coluerunt, et ex ingenti Deorum numero, qui paullatim ex omnibus terrae regionibus Romam intrarat, varios Deos in unum consociarunt, ut plures simul venerari facultas esset. Deinde et privati homines Deos, quos prae aliis observabant, in unam imaginem consociarunt, quae symbola plurium Deorum prae se fert. Illo modo, sine dubio, orta sunt Panthea in nostris numis obvia.

Exstructa quoque erant templa, omnibus Diis sacra. In Graecia, juxta urbem Marios, in Spartanorum terra, vetus erat templum omnibus Diis commune, et intra Altim, lucum Jovi sacrum, prope Olympiam urbem, ara omnium Deorum stabat. *Pausanias* III, 21. V, 14. Romae celebratum illud Pantheon ab Agrippa conditum, adhuc hodie integrum conspicitur.

Aequiparari possent Panthea signa cum signis bifrontibus, in quibus duo numina conjuncta sunt, ut Jani et Saturni, Herculis et Mercurii. Pantheon tamen, quod et nostri numi testantur, non Jani more formatum, non ex duobus capitibus compositum sistitur, sed congeries est multorum numinum, aut symbolorum eorum in unum caput.

In Plactorii Denario Pantheon ad quinque numina referri potest. Galeam habet, ut Minerva, pharetram, ut Diana, myrteam coronam, ut Venus, spicam et cornucopiae ut Ceres, alas ut Victoria. Aversa autem hujus numi ad Deorum principem spectat et aquilam Jovis sistit. Pantheon Denarii Julii Bursii ex quatuor compositum videtur Diis, vultum et faciem habet Apollinis, alas Mercurii, tridentem Neptuni, sceptrum

ex Jovis attributis sumtum. Alterum igitur Pantheon Deos includit, alterum Deas, primum virile est, alterum muliebre.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
PLAETORIA.	Protome mulieris galeata, humero alato, prominente retro pharetra, juxta cornucopiae. CESTIANVS. S. C. M. PLAETORIVS. M. F. AED. CVR. Aquila fulmini insistens.
JULIA.	Caput juvenile alatum, capillis per cincinnos dependentibus, promicante retro tridente, pone sceptrum. In area varia sigilla. L. IVLI. BVRSIO. Victoria in citis quadrigis. In area variae alphabeti literae.
	Similis cum EX. A. PV. in aversa.

G E N I I.

Adductis jam numinibus in familiarum numis expressis, praeferuntur nunc Genii his numis insigniti. Apparent imagines Virtutum et vitiorum, boni igitur Genii atque mali, deinde quoque iconismata regionum ac populorum, sub Genii specie. Haec omnia nunc in medium producuntur.

L A R E S.

Lares erant Dii Romanorum familiares, quibus domus ac foci custodia demandata erat. Larium cultus e Sabinorum terra Romam accitus est. Eorum mater Lara habita fuit, quae, ut *Ovidius*, Fast. II, 615, narrat, ex Mercurio

geminos parit, qui compita servant
Et vigilant nostra semper in urbe, Lares.

Alii, ut *Macrobius*, Saturnal. I, 7, Larium matrem Maniam appellant. Idem auctor narrat, Aemilium Regillum praetorem, durante bello cum Antiocho Syriae rege, in campo Martio Laribus aedem vovisse. Praecipue autem in domibus colebantur, et quidem in atrio domus, aut in sacello, quod inde lararium appellabatur. Imagines eorum diebus festis floribus ac sertis ornabantur.

Effigiabantur juvenes capite galeato, hastas tenentes, canem juxta se habentes. Sic et noster Denarius eos profert, quem optime *Ovidius* Fast. V, 129, explicat:

Praestitibus Majae Laribus videre Kalendae,
    Aram constitui, signaque parva Deum. —
Stant quoque pro nobis et praesunt moenibus urbis,
    Et sunt praesentes, auxiliumque ferunt.
At canis ante pedes, saxo fabricatus eodem,
    Stabat. Quae stanti cum Lare causa fuit?
Servat uterque domum, dominoque fidus uterque,
    Compita grata Deo: compita grata cani.
Exagitant et Lar et turba Diania fures:
    Pervigilantque Lares, pervigilantque canes.

Vulcani caput in numi nostri area respicit ad tutelam foci et ignis in domo, Laribus demandatorum.

FAMILIAE NOMEN.	*NUMUS.*
CAESIA.	Lares sedentes cum hastis, capite galeato, medio inter hos cane, supra quos caput Vulcani cum forcipe, in area hinc LA, illinc RE. utrumque in monogrammate. L. CAESI.
	Protome Vejovis, pone AP. in monogrammate.
	Vid. et *Vejovis.*

CLEMENTIA.

Julii Caesaris aetate inter Genios Clementia etiam est relata, cum *Suetonio* teste, Jul. Caes. 75, Caesar moderationem ac clementiam et in administratione et in victoria belli civilis admirabilem exhiberet. Unde decretum fuit a senatu, ut templum Caesari ac Clementiae Juliae aedificaretur, quod in Denario a Sepullio Macro signato pictum sistitur. In Denario Aemilii Pauli caput Clementiae in medio clypei votivi locum invenit.

FAMILIAE NOMEN.	*NUMI.*
AEMILIA.	Caput Clementiae in clypeo. CLEMENTIAE. S. C.
	PAVLLVS. LEPIDVS. CONCORD. Caput Concordiae velatum.
	Vid. et *Concordia.*
SEPULLIA.	Templum Clementiae quatuor columnarum. CLEMENTIAE CAESARIS.
	P. SEPVLLIVS. MACER. Eques desultor binos equos incitans, in area corona et palmae ramus.

AEQUITAS.

Effingitur mulier cum bilance, additur interdum et hasta et caduceus.

FAMILIAE NOMEN.	NUMI.
ANNIA et FABIA.	Caput muliebre diadematum, ante quod bilaux et pone caduceus. Infra aut sigillum aut litera alphabeti. C. ANNI. T. F. T. N. PROCOS. EX. S. C. L. FABI. L. F. HISP. Victoria in citis quadrigis, superne Q.
	Similis, sed Victoria in lentis quadrigis.
TARQUITIA.	Caput muliebre diadematum. C. ANNI. T. F. T. N. PROCOS. EX. S. C. Q. TARQVITI. P. F. Q. Victoria in citis bigis, superne variae notae arithmeticae.
CORDIA.	Mulier stans d. bilancem, s. hastam, in humero noctua. MAN. CORDIVS. RVFVS. IIIVIR. Capita Dioscurorum. Vid. et *Dioscuri*.

FIDES.

Fides a Romanis jam Numa Pompilio regnante divinis honoribus culta est, tum etiam templum ei exstructum. *Livius* I, 21. Deinde ei et in Capitolio ab Atilio Calatino aedes dedicata est. *Cicero*, de Natur. Deorum II, 23. *Plinius*, H. N. XXXV, 10.

FAMILIAE NOMEN.	NUMI.
LICINIA.	Caput Fidei laureatum. NERVA. FIDES. A. LICIN. IIIVIR. Vir paludatus citato equo vectus barbarum nudum et barbatum crinibus prehensum rapit.
	Similis, sed A. LICINIVS in antica.
LICINIA.	Caput Fidei laureatum. NERVA. FIDES. ALBINVS. BRVTI. F. Duae dexterae junctae caduceum sustinent.

PIETAS.

Pietas, justitia adversus Deos, cultus erga majores et sanguine conjunctos, Romae quoque aedes habuit. *Plinius* H. N. VI, 36. *Cicero* de

Div. I. 43. *Livius* XL, 34. Effingitur capite diademato, eique ciconia additur, dicitur enim ciconia parentum senectutem sublevare.

In Denario Herennii cum capite Pietatis anticae conjungitur in aversa fratrum Cataniensium, Amphinomi et Anapidis, pietas in antiquitate celebrata, qui Aetna monte torrente et vicina vastante, parentes senio invalidos ex mediis flammis extulerunt. Similis typus in numis Catanensium Siciliae aeneis.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
CAECILIA.	Caput muliebre diadematum, juxta ciconia.
	Q. C. M. P. I. Elephas.
	Sigla illa explicanda sunt, Quintus Caecilius Metellus Pius Imperator. *Restitutus a Trajano.*
CAECILIA.	Caput muliebre diadematum, juxta ciconia.
	IMPER. Urceus et lituus intra lauream.
HERENNIA.	Caput muliebre. PIETAS.
	M. HERENNI. Frater pius parentem efferens, in area vel anticae vel aversae litera alphabeti.
JUNIA.	Caput muliebre. PIETAS.
	ALBINVS. BRVTI. F. Duae dexterae junctae caduceum tenent.

CONCORDIA.

Concordia, sine cujus praesidio nihil firmum solidumque esse potest, jam a Graecis summo loco habita et inter Deos relata est, igitur in moneta Graecorum saepius typus est cum epigraphe. *Ομονια.* Vid. *Eckhel*, Doct. Num. Vet. Vol. IV. pag. 331 seq.

A Romanis religiosissime quoque colebatur Concordia. — Quinque ei templa in urbe dedicata erant et numi Romanorum varii generis et argumenti ejus effigiem praeferunt. In nostris numis matrona cum capite velato effingitur, excepto Denario L. Vinicii, in quo caput laureatum sistitur.

Aversa Denarii Pauli cum tropaeo, in memoriam revocat Lucii Aemilii Pauli victoriam de Perseo. Iterum consul, sunt verba *Aurelii Victoris* in libro de viris illustribus, cap. LVI, Persen, Philippi filium, regem Macedonum, apud Samothracas cepit, quem victum flevit et assidere sibi jussit: tamen in triumphum duxit. In aversa alterius Aemilii Pauli Denarii exhibetur celebratum puteal Scribonii, de quo *Eckhel* audiendus est, D. N. V. Vol. V, pag. 130 et 302.

In altero Denario Mussidii Longi sistit se comitium, quod septa, cancelli et pons indicant. Septa, quod *Servius* ad *Virgilii* Eclogam I, v. 34, observat, erant loca inclusa tabulatis, in quibus stans Populus Romanus suffragia ferre consueverat. Etiam *ovilia* appellabantur, quoniam similia erant ovilibus. Illa iis indita denominatio prisca tempora respicit, deducta de vitae genere priorum regionis Romanae incolarum, Latinorum, qui pastores erant, unde parum aberat, quin omnium iis necessariarum rerum appellationes ex re pecuaria arcesserent. Sic omne patrimonium, peculium nuncupabatur, sic locus Romae, quo populos comitia celebrabat ovilia, quo jam Romulus pastores convocasse, fertur. Verbum CLOACIN. Mussidii Denario inscriptum, comitium notat. T. Tatius, Sabinorum rex, Veneris statuam in cloaca repertam *Cloacinam* nominavit et in comitio dedicavit, eique templum vovit. Sed et nomen adoptata esse dicitur Dea a verbo *cluere seu luere*, quod idem est ac purgare, culpa liberare.

Comitii species etiam familiarum numis inest, Denario Hostilii Sasernae, cum Palloris capite in antica, et Silii Nervae Denario, cujus adversa Virtutis imagine distincta est. Vid. *Virtus* et *Pallor*.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
AEMILIA et SCRIBONIA.	Caput muliebre diadematum velatum. CONCORD. PAVLLVS. LEPIDVS. PVTEAL. SCRIBON. LIBO. Puteal Libonis, ex quo pendent duae lyrae et encarpi.
	Similis, sed in aversa Clementiae caput. Vid. et *Clementia.*
	Puteal Scribonis etiam in Denariis Lepidi cum Bono Eventu. Vid. *Bonus Eventus.*
AEMILIA.	Caput muliebre diadematum velatum. CONCORDIA. PAVLLVS. LEPIDVS. TER. PAVLLVS. Tropaeum, juxta hinc vir togatus stans, illinc captivus revinctis post tergum manibus, adstantibus duabus parvis figuris.
	Similis aureus.
DIDIA et FONTEJA.	Caput Concordiae diadematum velatum, CONCORDIA. P. FONTEIVS. CAPITO. IIIVIR. T. DIDI. IMP. VIL. PVB. Porticus duplici in altum columnarum serie conspicua.

MUSSIDIA.	Caput muliebre diadematum velatum; ante quod sol, aut luna, aut astrum. CONCORDIA.
	L. MVSSIDIVS. LONGVS. Comitium cui inscriptum: CLOACIN.
MUSSIDIA.	Caput muliebre diadematum velatum. CONCORDIA.
	L. MVSSIDIVS. LONGVS. Duae dexterae junctae caduceum tenent.*
VINICIA.	Caput Concordiae laureatum. CONCORDIAE.
	L. VINICI. Victoria gradiens s. oblongum palmae ramum tenet, cui illigatae sunt quatuor corollae.

SALUS.

Salus, una cum Concordia, Libertate, Victoria aliisque, *Cicerone*, de Nat. Deorum II, 23, praedicante, iis rebus adnumerabatur, quibus tanta vis tributa est, ut sine Deo regi non possent, quare ipsa res Deorum nomen obtinuit. Qua de causa et a Romanis Saluti aedes dedicata est anno V. C. 447. a Censore C. Junio Bubulco, *Livius* IX, 43. X, 1. quam a C. Fabio picturis ornatam esse *Plinius*, H. N. XXXV, 4, et *Valerius Maximus* VIII, 14, 6, testantur. Fabius, ob hoc factum, cognomen Pictoris accepit.

Cum Salutis capite in Antii Denario optime consociatur Valetudo, quae columellae innititur et serpentem tenet. Eadem est ac Graecorum Hygiaea. Per Salutem, ut videtur, in nostro Denario Romanorum Dea proposita est, Valetudinis imago autem respicit ad Graecorum Hygiaeam.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
ACILIA.	Caput Salutis laureatum. SALVTIS.
	MV. ACILIVS. IIIVIR. VALETV. Valetudo stans, d. serpentem tenet, s. columellae innititur.
JUNIA.	Caput Salutis. SALVS. juxta alphabeti litera, omnia intra torquem.
	D. SILANVS. L. F. Victoria in citis bigis d. flagellum, s. palmae ramum, infra cicada, vel pro his ROMA.

LIBERTAS.

Libertas prae aliis a Romanis Dea culta est, imprimis a populo, tanquam reipublicae auctor et servatrix, summo in honore habita. *Livio* XXIV, 16, narrante, Gracchus in monte Aventino Libertatis aedem

faciendam curavit ac dedicavit, deinde Augusti aetate Asinius Pollio atrium Libertatis aedificavit. *Suetonius*, Aug. 29. Signum et symbolum Libertatis est pileus, qui et in variis nostris Denariis imagini apponitur. Corona ornata interdum, interdum nudo capite pingitur.

In Denarii C. Cassii Longini aversa literis A. C. *Absolvo, Condemno*, in tabula scriptis, renovatur L. Cassii memoria, et respicitur ad legem tabellariam de judiciis, quam ille tulerat, ut populo in omnibus judiciis, excepta perduellione, per tabulam suffragium esset. Et cum hac re Libertati praeclare consuleret Cassius, renovatio ejus memoriae cum Libertatis imagine hoc in numo optime conjungitur. Apposita est urna, in quam tabellae mittebantur.

Exhibentur rostra in Denario Lollii Palikani, in aversa, quae optime cohaerent cum antica, Libertatis imagine, in rostris enim et tribuni plebis pro concione loqui et populi libertatem defendere soliti sunt.

Libertatis imago et Romae signum in Denario Vibii Pansae, respicit ad hujus viri facta, qui in Antonium, hostem reipublicae S. C. declaratum, arma movit; quare, Libertatis defensor, summo jure ejus effigiem in Denario suo adhibet.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
CASSIA.	Caput muliebre colligatis retro in nodum capillis. LIBERT. — Q. CASSIVS. Templum rotundum, intra quod sella curulis, in area hinc urna, illinc tabella, cui inscriptum: A. C. Vid. et *Historici*.
LOLLIA.	Caput muliebre. LIBERTATIS. PALIKANVS. Porticus, cujus columnis adfixa navium rostra, et cui imposita mensa.
VIBIA.	Caput muliebre laureatum. LIBERTATIS. PANSA. C. F. C. N. Roma galeata sedens in clypeis d. hastae innixa s. pede globum premit, et ab advolante Victoria coronatur.
CAECILIA	Caput muliebre. LIBERTAS. — M. AQVINVS. C. CASSI. PR. COS. Tripus. *Aureus.*
EGNATIA.	Caput Libertatis diademate ornatum, pone pileus. MAXVMVS. C. EGNATIVS. CN. F. CN. N. Duae mulieres galeatae et hastatae stantes, quarum dexterior s. parazonium tenet, et sinistro pede capite animalis insistit, ad alteram advolat Amor. Hinc et illinc remus prorae navis infixus.

FARSULEJA.	Caput Libertatis diadematum. MENSOR. S. C. In nonnullis notae arithmeticae. L. FARSVLEI. Vir galeatus paludatus s. hastam in citis bigis vectus, prorecta dextra virum togatum in currum recipit. Infra equos scorpio aut nota arithmetica, quando deest illa in antica. Caput Libertatis etiam in numis Bruti et Cassii.

FORTUNA.

Apud Romanos Fortuna, quae tam multa contribuit ad civitatis incrementa, summo in honore habita est. Multa inde ei templa voverunt. Dicitur jam ab Anco rege templum ei votum fuisse. Deinde vero plura in urbe Deae templa exstructa sunt, variis enim nominibus observabatur, ut Fortuna muliebris in memoriam Coriolani mulierum precibus ab urbe aversi, Fortuna Primigenia, Equestris, Plebeja, Fors Fortuna et alia. Unde et Fortuna saepissime in numis allata est, tam familiarum, quam imperatorum.

In Arrii et Sicinii Denariis Fortuna Populi Romani capite diademato proponitur. Rustiae gentis Denarius habet Fortunas Antiatas, ab urbe Antio dictas, ubi celebre earum erat templum, quod apud veteres summo in honore fuit, Fortunae enim illae responsa dabant. *Macrobius*, Saturnal. I, 23.

FAMILIAE NOMEN.	*NUMI.*
SICINIA.	Caput muliebre diadematum. FORT. P. R. (Fortuna Populi Romani.) SICINIVS. IIIVIR. Caduceus et ramus palmae decussatim positae, supra corona laurea.
ARRIA.	Caput muliebre, supra quod F. P. R. (Fortuna Populi Romani.) M. ARRIVS. SECVNDVS. Hasta pura inter lauream et quandam speciem arae ignitae. *Aureus.*
RUSTIA.	Duae protomae muliebres impositae cippo. FORTVNAE. ANTIAT. — Q. RVSTIVS. CAESARI. AVGVSTO. EX. S. C. Ara cui inscriptum: FOR. RE. (FORtunae REduci.)

SORS.

Sors, teste *Cicerone*, de Divinatione II, 41, idem propemodum est, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras, quibus in rebus temeritas et casus, non ratio, nec consilium valet. Tamen Sorti a vetere superstitione oraculi vis addicta est, quin et pro Deo erat et divinos honores consecuta. Semper cum Fortuna conjuncta erat. In nostro Denario juvenili forma effingitur. In altero Plaetorii Denario fastigium templi Sortis sistitur. Caput muliebre in antica Denariorum sine dubio, effigies Fortunae est.

FAMILIAE NOMEN.	*NUMI.*
PLAETORIA.	Protome juvenilis imposita basi, cui inscriptum: SORS. — M. PLAETOR. CEST. S. C. Caput muliebre, pone varia sigilla.
PLAETORIA.	Fastigium templi sortis. M. PLAETORI. CEST. S. C. Caput muliebre crinibus in occipite reticulo colligatis, pone varia sigilla.

BONUS EVENTUS.

Bonus Eventus idem fuisse videtur ac Fors Fortuna, definiente *Donato*, in *Terentii* Phormione, qui inquit: Fortuna dicta est res incerta, Fors Fortuna, eventus fortunae bonus. Inter Deos rusticos Bonus Eventus refertur a Varrone, de Rust. I, 1. quia sine successu ac Bono Eventu frustratio est, non cultura. Habuit quoque Bonus Eventus Romae templum in regione IX.

In nostro numo juvenis proponitur. Quamquam fascia redimitum, tamen juvenile caput est, non, ut alii volunt, muliebre. In imperatorum numis saepius occurrit ejus imago, vir nudus stans ad aram, pateram ac spicas cum papavere tenens. Eodem cultu a Graecis Triptolemus effingebatur, ideo dubitandum non est, Bonum Eventum Romanorum ex Graecorum Triptolemo ortum esse, qui *Boettigerò*, Vasengemälde, I, 2, 211, affirmante, una cum Bacchi sacris et Liberalibus e Graecia magna in Latium accitus, a rusticis primum cultus, et in Bonum Eventum mutatus, deinde urbem intravit.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M U S.*
SCRIBONIA.	Caput juvenile, cujus frons fascia redimitur. BON. EVENT. — LIBO. PVTEAL. SCRIBON. Puteal, ex quo dependent duae lyrae. *Restitutus a Trajano.*

HONOR ET VIRTUS.

Honorem ac Virtutem Romani religiose observabant, et vetus eorum cultus fuit in urbe. Utrique Marcellus anno V. C. 545, in bello Gallico templum vovit, quod et deinde aedificavit, testibus *Livio* XXVII, 25, et *Valerio Maximo* I, 1, 8. Alia et aedes iis sacra Romae a C. Mario dedicata et ab architecto C. Mutio aedificata est, *Vitruvius* III, 1, quod circa annum V. C. 653 factum esse videtur.

Honor juvenis pingitur, capite laureato, Virtus mulier capite galeato. Plerumque in nostris numis galea Virtutis cristata exprimitur. Talis galea apud Campaniae incolas, aliosque Italiae populos in usu fuit. *Livius* IX, 40, de fulgentibus Samnitium armis narrans, praedicat galeas cristatas, quae speciem magnitudini corporum adderent, et paulo post dicit, Campanos, superbia et odio Samnitium gladiatores — quod spectaculum inter epulas erat — eo armatu armasse, Samnitiumque nomine compellasse. Galeam cristatam offerunt quoque in Vasculis Graecorum antiquis in Campaniae regionibus nostris temporibus terrae erutis. Reperitur Hero, cujus galea duobus cristis ornata est. *Boettiger,* Vasengemälde I, 3, 79.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
	Honor.
LOLLIA.	Caput juvenile laureatum. HONORIS. PALIKANVS. Sella curulis inter duas spicas.
SULPICIA.	Caput Honoris laureatum. SER. SVLP. Universus rei nauticae apparatus in modum tropaei compositus; adstat hinc vir togatus obvolutis toga manibus, illinc vir nudus manibus post tergum revinctis.
	Honoris caput etiam in numis Augusti.
	Virtus.
AQUILLIA.	Protome Virtutis capite galeato, galeam cristae ornant. VIRTVS.— IIIVIR.

MAN. AQVIL. MAN. F. MAN. N. Miles s. clypeum tenens et respiciens d. mulierem nudam in genua praecumbentem sublevat, infra SICIL.

Serratus.

Vid. et *numi Historici.*

CARISIA. Caput Virtutis galeatum. ROMA.

T. CARISI. Globum, cornucopiae, gubernaculum; omnia intra lauream.

POBLICIA. Caput Virtutis galeatum. ROMA, superne litera alphabeti.

C. POBLICI. Q. F. Hercules stans, leonem suffocat, in area arcus et pharetra, simul eadem litera, quae in antica.

Serratus.

Vid. et *Hercules.*

LICINIA et SILIA. Protome cum galea cristata d. hastam super humero, s. clypeum cui eques insculptum, in area supra galeam lunula, juxta X et ROMA.

P. NERVA. Septa Comitiorum, intra quae stans civis tabellam urnae immittit, accedente altero tabellas a diribitore accepturo; aream numi superiorem secat linea, ubi figura, quae animal esse videtur.

Similis *aureus.*

VETURIA. Caput Virtutis galeatum, in galea crista, pone X. — TI. VET.

ROMA. Vir ingeniculatus porcam tenet, quam adstantes duo milites bacillis contingunt.

Honor et Virtus.

FUSIA et MUCIA. Capita Honoris et Virtutis jugata, Honoris laureatum, juxta quod HO. Virtutis galeatum, juxta quod VIRT. in monogrammate. KALENI. CORDI. Mulier juxta quam scriptum ITAL. in monogrammate, stans et s. cornucopiae tenens, dexteram jungit cum muliere alia, quam s. sceptrum tenente, et d. pede globo insistente juxta scriptum RO. In area caduceus.

Similis *aureus*, sed Quinarius.

Serratus.

Vid. et *Genii regionum.*

TRIUMPHUS.

Et Triumphum imagine expresserunt Romani, quod noster hic numus docet. Juvenili aspectu effingitur, capite laureato in humeris tropaeum

gestans. Divino honore cultum esse Triumphum, non constat, Papius igitur, hujus Denarii auctor, eum Genium observasse videtur.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M U S.*
PAPIA.	Caput juvenile laureatum, prominente pone tropaeo. TRIVMPVS. L. PAPIVS. CELSVS. IIIVIR. Lupa fomitem ore stringens, et aquila expansis alis, stantes ante ardentem lignorum struem.

P A X.

Pax a Graecis et Romanis Dea culta, ab his quoque in numis proposita est. Testatur hoc Quinarius Aemilii, qui hoc typo usus est sine dubio ea de causa, quia Augusti aetate, qua is Quinarius malleum passus est, pax toto orbe terrarum effloruit.

Romae quoque fuit celeberrimum pacis templum, a Claudio votum, aedificatum sub Vespasiano, in quo et bibliotheca, et pinacotheca, sicut multae res artificiosae atque preciosae adservabantur. Jure igitur hoc aedificium pacis templum appellabatur, quia artibus erat sacrum, quae nonnisi pacis temporibus florere possunt.

Picta sistitur Pax in nostro Denario mulier. Optime cum illa antica cohaeret aversa, duae dexterae junctae, symbolum pacis ac concordiae.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M U S.*
AEMILIA.	Caput muliebre nudum. PAXS. L. AEMILIVS. BVCA. IIIVIR. Duae dexterae junctae. *Quinarius.*

P A L L O R ET P A V O R.

Non virtutes solum, interdum et vitia et res noxiae a Romanis divino honore ornatae sunt. Sic Romae erat Febris aedes, *Valerius Maximus* II, 5, 6, neque non aedes Tempestatis. Sic quoque Pavori ac Pallori Tullus Hostilius jam fana consecravit, cum in proelio cum Vejentibus ei nuntiatum esset, Albanos perfide abire. *Livius* I, 27. Graecorum *Δειμος και Φοβος*, Pavori et Pallori respondere videntur, Martis in proelio comites, et ejus et Veneris filii.

FAMILIAE NOMEN.	NUMI.
	Pallor.
HOSTILIA.	Caput Palloris, pone lituus militaris. SASERNA. L. HOSTIL. (Tribus postremis literis colligatis) Septa cum cancellis, per quorum pontem tres figurae togatae incedunt.
HOSTILIA.	Caput Palloris, pone lituus militaris. L. HOSTILIVS. SASERNA. Diana peregrino cultu stans d. cervum cornibus retinet, s. hastam. Vid. et *Diana.*
	Pavor.
HOSTILIA.	Caput Pavoris, pone clypeus oblongus. L. HOSTILIVS. SASERNA. Bigae citato cursu, ex quibus vir nudus armatus retrorsum pugnat, auriga equos flagro incitante.

GENII REGIONUM, POPULORUM ET URBIUM.

Ad Genios referri etiam possunt imagines, regionibus ac populis tributae, quae sunt allegoriae ad significandam provinciam ex earum indole depromtae. Variae etiam tales Geniorum imagines familiarum numis insunt, quae nunc in medium producuntur.

Genius Populi Romani. Sistitur in Denario Cneji Lentuli capite barbato. Symbola in aversa sceptrum, globus, gubernaculum, haec omnia enunciant Romae amplitudinem ac terra marique vim et potestatem. In alio Denario P. Lentuli vidimus Genium sedentem. Pingitur vir barbatus tenens cornucopiae et hastam, insistens dextro pede globo, et coronatus ab advolante Victoria. Haec omnia urbis et populi Genio omnino competunt, armis enim, quorum signum huc hasta, Roma, victoria semper ubique ei adnuente, totum pene terrarum orbem superavit, eum pedibus quasi subjecit, unde imago globum pede calcat, et debellationibus ac triumphis summas sibi divitias paravit, atque omnium terrarum opes in se congregavit, quod cornucopiae significatur. Tertius Denarius, Fabii Pictoris, exhibet Romam sedentem, urbis simulacrum.

Genios Italiae ac Romae Denarius Fufii Caleni exhibet, mulieres stantes cum attributis, quae dexteras jungunt. *Italia* cornucopiae tenet,

ut regionis ubertas et abundantia ostendatur. *Roma* sceptrum, symbolum potentiae ac potestatis, gestat, et dextro pede globo insistit, imperium orbis terrarum pronuntians.

Genius Africae in variis Denariis occurrit. Caput ejus elephanti exuviis tectum est; in Caecilii Metelli Denario miro cultu se offert, mulier stolata, capite, ut videtur, leonis, addito G. T. A. Genius. Tutelaris. Africae.

Genium Hispaniae Postumii Denarius sistit, caput velatum, sparsis crinibus.

Genius Alexandriae, in Denariis Lepidi et Metelli, capite muliebri turrito effingitur.

Nonnulli Denarii gestant imagines Geniorum locorum ignotorum.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
	Genius Populi Romani.
CORNELIA.	Caput barbatum diadematum, pone sceptrum, supra G. P. R. CN. LENT. Q. EX. S. C. Sceptrum intexta corona, globus, gubernaculum.
	Literae in antica significant, Genius Populi Romani.
	Similis, sed cum epigraphe in aversa LENT. CVR. X. F. EX. S. C.
CORNELIA.	Vir barbatus velatus seminudus sedens in sella curuli d. cornucopiae s. hastam et d. pede globo insistens, coronatur ab advolante Victoria, P. LENT. P. F. L. N.
	Caput nudum barbatum, pone Q. S. C. (Quaestor.)
	Similis, sed juxta anticae caput OSCA. in aversa, P. LENT. P. F. SPINT.
FABIA.	Roma galeata sedens d. apicem pontificialem, sinistra tenens hastam, quam imponit clypeo, cui inscriptum: QVIRIN. In area N. M. P. aut aliae literae. N. FABI. PICTOR.
	Caput Palladis galeatum pone X, in area variae alphabeti literae.
	Alterum N. in area, quod Fabii nomen consequitur, non ad Fabium pertinet, ut *Eckhel.* D. N. V. Vol. V, pag. 209 sentit, sed litera solitaria est, non semper enim idem est in his Denariis illa litera, ac quidem variat, quod fugit *Eckhelium.* In *Morelli* delineatione haec litera deest.
	Romae imaginem etiam exhibet Denarius Vibii Pansae, conjunctam cum Libertatis capite. Vid. *Libertas.*
	Genius Italiae ac Romae.
FUFIA et MUCIA.	Mulier, juxta quam scriptum ITAL. stans et s. cornucopiae tenens,

dexteram jungit cum alia muliere, sinistra sceptrum tenente et dextro pede globo insistente, juxta quam scriptum RO. In area caduceus. CORDI.

KALENI. Caput Honoris, juxta quod HO. et caput Virtutis, juxta quod VIRT.

Serratus.

Vid. et *Honor* et *Virtus*.

Genius Africae.

CAECILIA et EPPIA. Caput muliebre elephanti exuviis tectum, infra aratrum et spica. Q. METELLI. SCIPIO. IMP.

EPPIVS. LEG. F. C. Hercules nudus stans.

Vid. et *Hercules*.

CAECILIA. Mulier stolata stans adversa, capite, ut videtur, leonis, cui superne globus imminet d. triangulum, s. pectori admota, supra literae G. T. A. — Q. METEL. PIVS. SCIPIO. IMP.

P. CRASSVS. IVNI. LEG. PROPR. Victoria stans d. caduceum s. clypeolum rotundum.

Literae in antica sensum habent. Genius Tutelaris Africae.

CESTIA. Caput muliebre elephantis exuviis tectum.

L. CESTIVS. C. NORBA. PR. S. C. Sella curulis, super qua galea.

Aureus.

CORNUFICIA. Protome mulieris elephanti exuviis tecta, pone duo jacula.

Q. CORNVFICI. AVGVR. IMP. Vir velatus et togatus stans, d. lituum, coronatur ab adstante Junone Sispita.

Genius Alexandriae.

AEMILIA. ALEXANDREA. Caput muliebre turritum.

M. LEPIDVS. PONT. MAX. TVTOR. REG. S. C. Lepidus togatus stans regi togato adstanti et d. hastam tenenti diadema imponit.

Vid. et *numi Historici*.

CAECILIA. Caput muliebre turritum, hunc spica, illinc caduceus supra aliquid instar lineolae aut tabellae, infra prora navis.

CRASS. IVN. LEG. PROPR. METEL. PIVS. SCIP. IMP. Tropaeum inter lituum et urceum.

Genius Hispaniae.

POSTUMIA. Caput muliebre velatum sparsis crinibus. HISPAN.

A. POST. A. F. S. N. ALBIN. Vir togatus stans dexteram extendit aquilam versus legionariam juxta defixam, pone fasces cum securi.

Serratus.

Genti regionum ignotarum.

CAECILIA.	Caput virile barba et capillis per cincinnos pendentibus, infra caput aquilae et sceptrum. METEL. PIVS. SCIP. IMP. CRASS. IVN. LEG. PROPR. Bilanx ex cornucopiae pendens, infra sella curulis, hinc spica, illinc manus erecta, pollice et indice numum, ut videtur, stringens. Similis *aureus*.
CORNELIA.	Caput muliebre tectum galea superne in gryphi caput exeunte, juxta X. — EX. S. C. CETHEGVS. Vir nudus tectus galea in pilei Phrygii modum formata citato hirco vectus d. ramum, infra ROMA. Omnia intra coronam hederaciam.
FABIA.	Caput muliebre turritum velatum, pone EX. A. PV. C. FABI. C. F. Victoria in citis bigis, infra avis et varians alphabeti litera. Similis, sed deest epigraphe in antica.

CLASSIS SECUNDA. SECTIO SECUNDA.
NUMI CUM ARGUMENTIS HISTORICIS.

Accedamus nunc ad numos familiarum argumentis historicis instructos, quorum alii ad *historiam urbis* faciunt, alii *facta majorum* illustrant. Neminem fugere potest, illos numos ad illustrandum librum, de viris illustribus urbis Romae, cujus auctor *Sextus Aurelius Victor* creditur, multum conferre posse, sicut etiam, quae auctor de viris illis pronunciat, typis numorum multam lucem afferre possint. Invicem vero se explicant, neque igitur injucundum, neque odiosum, utrosque conferre et comparare.

Primo loco animo complecti volumus numos qui *historiam Romanam* tangunt. Sistunt illi partim urbis incunabula, partim imagines regum.

Denarius Sexti Pompeji habet Romulum et Remum, nutritos a lupa sub ficu Ruminali, cui picus insistit, Denarius Satrieni, Martem et lupam, qui spectant ad Romanae gentis originem. *Rhea Silvia*, inquit *Aurelius Victor*, in libro citato, capite I, a Marte compressa, Romulum et Remum edidit. Amulius rex Albanorum, ut fratrem Numitorem sobole privaret, Rheam filiam ejus in vincula compegit, parvulos in Tiberim abjecit, quos aqua in sicco reliquit. Ad vagitum lupa occurrit, eosque uberibus suis

aluit. Mox Faustulus pastor collectos Accae Larentiae conjugi educandos dedit. Qui postea, Amulio interfecto, Numitori avo regnum restituerunt. Ipsi pastoribus adunatis civitatem condiderunt, quam Romulus augurio victor, quod ipse XII, Remus VI vultures viderat, Romam vocavit.

Huc quoque pertinet, quod *Aurelius Victor* in libro, de origine gentis Romanae, cap. XX, 4, affert: Faustulo inspectante, picum advolasse, ore pleno cibum pueris ingessisse; inde videlicet lupum picumque Martiae tutelae esse. Picus Sabinis et Latinis sacratus erat ales, inprimis in augurio observatus.

Quae de Romulo apud veteres dicuntur, vaga sunt et incerta, atque apologis mixta. In controversia positum est, talem vere fuisse et urbem Romam condidisse, quod autem a vero alienum esse non videtur. De ea re imprimis consulendus est *Wachsmuth*, auctor operis: *die ältere Geschichte des römischen Staates*, pag. 122 seq. Nonnulli negant, inter quos *Blum*, in libro: *Einleitung in die Geschichte Roms*, pag. 160 seq. probabile reddere conatur, Romulum Deum pastorum fuisse, qui regionem inhabitabant, ubi Roma sita erat. A Latinis enim colebatur Dea, Rumia aut Rumina, a ruma seu uberibus sic dicta, qua creaturas nutrit et alit. Ab illa, ut auctor notat, Roma urbs, per pastores fundata, nomen accepit, sicut Romulus, pastorum Deus et urbis numen tutelare. Non alienum erit, judicare, Romulum pastorum ducem fuisse, et ab iis postea Deum observatum esse.

Quod ad Lupam attinet, Latinis Lupercus et Luperca Dii erant, ad avertendos lupos, gregibus infestos, in quorum honorem Lupercalia spectacula edita sunt. Romulum et Remum vero a lupa nutritos esse, fabula narrat, quare typus numorum lupa cum gemellis. Typus ille se sistit in Denario antiquissimo Sexti Pompeji, cum Faustulo pastore, qui sine dubio primis reipublicae temporibus signatus est, ut fabrica et picturae stilus docent. Inest quoque argenteis antiquis Campaniae cum epigraphe ROMANO. Priscis temporibus quoque simulacrum tale factum erat. Media aetate saeculi quinti post urbem conditam, circa annum 458, ut *Livius* X, 23, exponit, aediles curules Cn. et Q. Ogulnii, ad ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum urbis sub uberibus lupae posuerunt. Deinde et posterioribus saeculis typus ille adhibitus est, ut in aeneis Antonini Pii et Constantini Magni.

In aliis Denariis occurrunt Romulus, Numa, Ancus reges, sicut Tatius Sabinorum rex, qui cum Romanis, primis jam regni temporibus, quam maxime consociatus erat. Romulo, *Aurelio Victore* de Vir. ill. cap. II, narrante, cum in colle Quirinali abiret, aedes in eo colle constituta, ipse pro Deo cultus, et Quirinus appellatus est. Nomen hoc

effigiei Romuli in Memmii Denario additum est. Quirinus etiam Sabinis belli Deus fuit.

Quod ad Tatium attinet, ob raptas Sabinas, ut *Aurelius Victor*, de Vir. Ill. cap. II testatur, bellum adversus Romanos sumsit. Et cum Sabini Romae approquinquarent, Tarpeiam virginem nacti, quae aquae sacrorum hauriendae causae descenderat, et T. Tatius optionem muneris dedit, si exercitum suum in Capitolium perduxisset. Illa petiit, quod illi in sinistris manibus gerebant, videlicet annulos et armillos, quibus dolose repromissis, Sabinos in arcem perduxit, ubi Tatius scutis virginem obrui praecepit, nam et ea in laevis habuerant. Romulus adversus Tatium, qui montem Tarpejum tenebat, processit, et in eo loco, ubi nunc forum Romanum, pugnam conseruit, et victor foedus cum Tatio percussit, atque Sabinos in urbem recepit. Deinde Tatius una cum Romulo regnavit, et regnum cum eo consociavit, ita ut, quae sunt verba *Livii* I, 13, non modo commune, sed concors etiam regnum duobus regibus esset.

Numa Pompilius, *Aurelio Victore* Cap. III affirmante, post Romuli abitum Curibus oppido Sabinorum accitus, Romam venit, et, ut populum ferum religione molliret, sacra plurima instituit, templa aedificavit, leges plures et utiles tulit. Unde Numa sacrificans sistitur in Denario Pomponii.

Ancus Marcius, Numae Pompilii ex filia nepos, aequitate et religione avo similis, ut *Aurelius Victor* cap. V, dicit, Aventinum et Janiculum montem urbi addidit, nova moenia oppido circumdedit, et Ostiam coloniam maritimis commeatibus opportunam ostio Tiberis deduxit.

Numae et Anci imagines non in singulis Denariis solum, sed et conjunctim proponuntur in Denario Marci Censorini, ubi capita jugata se sistunt. Ad explicandum hunc numum praesto sunt Asses gentis Marciae cum iisdem imaginibus, quibus regum nomina addita, quae desunt in Denario.

Caput Numae Pompilii barbatum diadematum, jugatum cum capite imberbi Anci Marcii. Juxta caput Numae scriptum: NUMA. POMPILI. vel NVMAE. POMPILI. capiti Anci adscriptum, ANCVS. MARCI. vel ANCI. MARCI.

M. MARCI. CENSO. ROMA. vel C. CENSO. ROMA. Duo arcus in quorum uno Victoria basi insistens, in altero subducta navis, supra lunula. Vel: Duae navium prorae variae compagis lege, super quarum una Victoria basi insistens. *Asses.*

Romani in numis ceteros reges suos non commemorant, sed tantummodo trium illorum memoriam propagatam laudibus prosequuntur. Et quidem jure hi prae ceteris laudantur, iis nempe praecipue multum debuit gens Romana. Romulo, ut a veteribus acceptum, originem atque initia,

Numae sacra, Anco, in quo, ut *Livius* I, 32, de eo praedicat, medium erat ingenium et Numae et Romuli memor, non solum restituta et confirmata sacra; sed etiam regni amplificationem usque ad mare.

FAMILIAE NOMEN.	NUMMI.
	Incunabula urbis.
POMPEJA.	Romulus et Remus lactentes sub ficu Ruminali, cui picus insidet, quem adstans pastor Faustulus extenta manu indicat. SEX. POM. FOSTLVS. infra ROMA. Caput Palladis galeatum alatum, prae quo X pone urceus. *Fontana,* Descrizione della Serie Consolare, pag. 103, Tab. III, 6, talem Denarium affert, ubi in ficu tres volucres se sistunt, monetarii, ut videtur, vitio.
SATRIENA.	Caput Martis galeatum, pone variae notae arithmeticae. Lupa gradiens P. SATRIENVS. Vid. et *Mars.*
	Romulus.
MEMMIA.	Caput Romuli laureatum liberaliter barbatum et capillatum. QVIRINVS. — C. MEMMI. C. F. MEMMIVS. AED. CEREALIA. PREIMVS. FECIT. Ceres sedens d. spicas, s. facem, pro pedibus serpens. *Restitutus a Trajano.*
	Tatius, Sabinorum rex.
TITURIA.	Tatii caput nudum barbatum, juxta TA. in monogrammate, aut A. PV. — SABIN. L. TITVRI. Duo Romani suam quisque Sabinam rapiunt.
TITURIA.	Caput Tatii nudum barbatum, juxta A. PV. et palmae ramus. SABIN. L. TITVRI. Tarpeja virgo, passis crinibus et extentis brachiis sedens in scutorum congerie, utrinque accedit Sabinus et ipse clypei jactum intendens, superne Sol et Luna. Similis, sed A. PV. deest.
TITURIA.	Caput Tatii nudum barbatum. SABIN. L. TITVRI. Victoria in citis bigis, d. coronam, in imo vel literae alphabeti, vel notae arithmeticae, vel minuta sigilla. Asses cum simili epigraphe, vid. *Pondera.*
VETTIA.	Caput Tatii nudum barbatum juxta TA. in monogrammate SABINVS. S. C.

T. VETTIVS. IVDEX. Vir togatus in lentis quadrigis s. hastam.
Serratus.

Numa Pompilius.

CALPURNIA et POMPEJA. Caput Numae cinctum diademate, cui inscriptum NVMA. — CN. PISO. PROQ.
MAGN. PROCOS. Prora navis.

POMPONIA. NVMA. POMPIL. Numa s. lituum tenens, stat ante aram luculentam, camillo capram admovente.
L. POMPON. MOLO. Caput virile barbatum.

Ancus Marcius.

MARCIA. ANCVS. Caput Anci Marcii diadematum, pone lituus.
PHILIPPVS. Arcus continui quibus inscriptum: AQVA. MAR. his imposita statua equestris.
Restitutus a Trajano.
Vid. et *Facta Majorum.*

Numa et Ancus.

MARCIA. Caput Numae barbatum diadematum, jugatum cum capite Anci imberbi.
C. CENSO. Desultor capite pileato, binis equis citato cursu invectus, infra equos jam notae arithmeticae, jam literae alphabeti, jam minuta sigilla.

FACTA MAJORUM

ILLUSTRIA ET GENTIUM DECORA.

Nunc in medium profertur numorum series, in quibus ii, ad quos apud Romanos reipublicae temporibus pertinuit monetae negotium, gentis suae decora praedicant. Summa erat Romanorum vanitas, in generis antiquitate ambitiosius gloriari, quam *Cicero* jam improbat. „Ipsae familiae," sunt ejus verba in Bruto, 16, „sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, et ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam; quanquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, et ad plebem transitiones, cum

homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus, ut si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio consul anno X post exactos reges fuit:" Vanitatis hujus testes etiam saepius sunt numi nostri, et non pauca occurrunt aut falsa, aut ficta. Fabulosa sunt Juliorum a Venere ortus, in quorum numis Venus saepissime ea ex causa allata, Mamilii profecti ab Ulysse et Mercurio, unde utriusque imago typus Mamilii Denariorum est, qui a nobis in numis cum Mercurio prolati sunt. Suspecta alia. Marci ab Anco Marcio genus ducebant, Calpurnii et Pomponii a Numa, ob quod Ancum et Numam in numis exhibent. M. Junius Brutus, qui Caesarem occidit, a Bruto, qui reges expulit se ortum esse gloriatus est, unde hujus viri imagine Denarios suos ornavit.

Saepius vero inveniuntur in nostris numis facta ex certa historia deprompta, quae eo magis delectant, quod, quae narravit historia, picturis aspectu subjiciuntur. Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum fuisse, etiam *Tacitus*, in Agricolae vita 1, affirmat. Renovatur in numis memoria virorum illustrium, revocantur merita, laudes majorum, res eorum domi forisque gestae. Haec omnia antequam numi ipsi proponantur, breviter definire et verbis describere in animo est, ut sensus typorum clarus et explicatus reddatur. Quis ultra rem exquirere propositum habet, *Eckhelio* duce optime edoctus redibit. Isti numi secundum ordinem alphabeticum gentium allati et descripti sunt, ut facilius et parvo negotio reperiantur. Notandum est adhuc, in nostra descriptione notas arithmeticas, cancellis inclusas, ad numos Sectionis secundae Classis secundae, cum argumentis historicis spectare, qui iisdem notis signati sunt; sin vero nota arithmetica abest, numi mythologici indicantur, quorum aversae facta majorum offerunt.

Proponitur in Denario Aemilii (4) *M. Aemilius Lepidus*, qui, cum Alexandrini, mortuo Ptolemaeo rege, Romam legatos mitterent, et a Senatu peterent, ut tutelam pupilli susciperet, tutor regis in Aegyptum missus est. *Labienum* qui, Caesaris aetate, ob odium in Caesarem Parthos in Romanos coucitabat, et Parthici imperatoris nomen sibi adsumebat, Denarius Atiae gentis repraesentat (9).

Gentis Corneliae Denarii *Sullae* laudes persequuntur, qui omnem gestarum rerum suarum gloriam fortunae retulit, et perpetua, in omnibus rebus usus est felicitate, ita ut non se solum *Felicem*, *Faustum* praedicaret, sed etiam liberis, ex uxore Metella eodem partu natis, idem nomen daret, filiumque Faustum, filiam Faustam appellaret. In aliis hujus familiae Denariis Sullae effigies sistitur, in aliis caput Bocchi, Numidiae regis, atque Jugurtha vinctus, quia Jugurtha a Mario, cujus Quaestor Sulla erat, victus apud generum Bocchum salutem quaerens ac, illo Sullae

in vincula traditus est (20 — 25.). Varii hujus gentis Denarii testantur Sullae pietatem in Venerem et Dianam.

Denario gentis Marciae inest imago Philippi, Demetrii filii, Macedonum regis, et spectat ad amicitiam *Marci Philippi* erga eum regum, quo gentis suae honore L. Philippus in numis gloriatur (35. 36.). *Livinejus Regulus* unus fuit ex praefectis urbis, quos Julius Caesar, in Hispaniam profectus, in urbe reliquerat, in cujus memoriam unus ex posteris Denarios signandos curavit, qui proavi effigiem habent (29 — 33). Denarii Minucia gentis *Minuciorum* memoriam pronunciant, quorum alter, *Lucius*, praefectus annonae, frumentum in rei frumentariae caritate plebi levi pretio divisit, alter *Marcus*, cognomine *Fessus* inter primos fuit, qui ex plebe augures facti sunt (38. 39.).

C. Plautius tibicines, qui, ab Appio Claudio censore irritati, Romam reliquerant, ut redirent effecit, eosque mane, sub Aurorae tempus, Romam devehi et eorum vultus personis tegi jussit, unde in Denario ab uno quodam posterorum Plautii percusso, persona et Aurorae imago proposita est (43.). Ad hoc factum quoque alludit persona in Junii Silani Denario, contigit enim in Junii Bubulci consulatu U. C. 443, quod Silanus revocat (44).

Victoria sedens in Denariis et Quinariis Porciae gentis respicit ad exstructionem aediculae Victoriae Virginis, quam *M. Porcius Cato* dedicaverat (50. 51.)

De rebus bellicis ac victoriis multa occurrunt in nostris numis. *Manii Aquillii* factum, qui consul V. C. 653, ad bellum fugitivorum in Sicilia missus, rem feliciter confecit, in Denario Aquilliae gentis exprimitur (6.). Elephanti caput in Denariis gentis Caeciliae indicat victoriam *L. Metelli* de Asdrubale ad Panormum relatam, scuta vero Macedonica in illis Denariis victoriam *Q. Metelli Macedonici* de Pseudo-Philippo ostendunt (10 — 13.).

Denarius gentis Corneliae ac Claudiae *M. Claudii Marcelli* laudes persequitur, qui adversum Gallos Insubres missus, relata insigni victoria, hostium ducem Vindomarum, aut Viridomarum interfecit, et detracta ei spolia opima Jovi Feretrio obtulit. Quare in Denario spoliorum dedicatio et Marcelli effigies se sistunt, cui triquetra apposita est, quae ad facta hujus viri in Sicilia et captas Syracusas respicit (19.). *Aurelius Victor*, in libro de viris illustribus Cap. XLV. dicit: „Spolia opima Jovi Feretrio tertius a Romulo consecravit, Syracusas tres annos oppugnavit et cum per calumniam triumphus ei a senatu negaretur, de sua sententia in Albano monte triumphavit."

Navis et tropaeum in Denario gentis Domitiae, sicut Neptuni templum in aureo Domitii, notant exustas Octaviani triremes a *Cn: Domitio* qui Octaviani res maritimas graviter afflixit (27. 28.).

Torques, qui Denarii gentis Manliae anticam ambit, adludit ad cognomen Torquati, quod *Titus Manlius* sibi et familiae acquisivit, quia Gallum interemit, eique torquem ademit (34.). De hac re *Aurelius Victor*, de viris illustribus, cap. XXVIII: „Sulpicio Dictatore Manlius, tribunus militum, Gallum provocatorem occidit, torquem ei detractum cervici suae induit.

Numonius, qui in expugnando vallo inclaruit, quod ei *Valae* nomen dedit, proponitur in Denario gentis Numoniae (41. 42.).

C. Plautius Privernum cepit et de victa urbe triumphavit. *Aulus Plautius* Bacchium Judaeum, Arabiae dynastam, subegit. *M. Aemilius Scaurus* pacem iniit cum Areta Arabiae petreae rege. Haec omnia in Denariis gentis Plautiae atque Aemiliae (45 — 48.).

Coelii Caldi memoria in Denariis gentis Coeliae renovatur, non solum ejus imagine sed et aliis typis. Vexillum in altero Denario cum vocabulo HIS. (Hispania) respicit ad bellum in Hispania gestum, et tabella in area alterius Denarii L. D. inscripta pertinet ad legem a Caldo latam, de qua deinde sermo erit (17. 18.).

Effigies *Auli Postumii Albi*, qui V. C. 258, insignem de Latinis ad lacum Regillensem victoriam retulit, exprimitur in Denario gentis Postumiae et Juniae (53.) Memoriam hujus victoriae revocat Denarius Postumii Albini cum Dioscuris qui equos ad fontem potant. Vid. *Dioscuri.*

In Denario gentis Sergiae sistitur *M. Sergius*, per bella Gallica spectatus, ensem et hostile caput sinistra tenens, quia, ut *Plinii*, H. N. VII, §. 29, sunt verba, secundo stipendio dexteram manum perdidit, stipendiisque duobus ter et vicies vulneratus est, et deinde sinistra manu sola quater pugnavit (54.).

In memoriam *Aemilii Lepidi*, pueri adhuc (2. 3.) et *Minucii Thermi* (40.), quorum uterque in proeliis civem servavit, a posteris eorum Denarii signati sunt. De *Q. Lutatii Catuli* victoria de Poenis testatur Denarius Lutatiae gentis. Vid. *Pallas. L. Aemilii Pauli* victoriam de Perseo, Macedonum rege, in memoriam revocat Denarius gentis Aemiliae, cum tropaeo, adstante captivo, in aversa. Vid. *Concordia.*

Varia praeterea sunt, quae spectant ad facta nobis ignota: *Arrii Secundi* in Denario gentis Arriae (7. 8.), *Didii* in Didiorum Denario (26), *Poblicii Malleoli* in numis familiae Poblicіae (49.), *Serviliorum* in hujus familiae Denariis (55 — 58.).

Indicantur quoque *aedificiorum constructiones*, *variae leges* Romae latae, *ludi et munera* Romao edita, aliaque. Numis vero, quorum typi ad illas res faciunt, separatae sectiones instructao non sunt, sed ad classem historicam spectantes, vel sectione ejus prima vel secunda inferuntur.

Varia comparent *aedificia publica*, *sacra et profana*. *Templum Jovis Capitolini* se sistit in Denariis Petillii et Volteji, sex columnarum in altero, in altero quatuor, Vid. *Juppiter;* Templum *Jovis Feretri* in Claudii Marcellini Denario (19.); *Veneris Erycinae* templum in Denario Considii, Vid. *Venus; Vestae* templum in Cassiorum Denariis, Vid. *Vestalis; Clementiae* in Sepullii Denario; Vid. *Clementia; Neptuni* in aureo Domitii, Vid. *Neptunus.*

Porticus Pauli, seu *Basilica Aemilia* inest Denario gentis Aemiliao (5.), alia porticus Denario C. Egnatii. Vid. *Venus. Villa publica* occurrit in T. Didii Denario, Vid. *Concordia; civitatis porta una cum moenibus* in aureo *Sulpicii Rufi*, Vid. *Penates. Aqua Marcia*, aquae ductus, apparet in numo gentis Marciae (37.), et *Pons in Tiberi*, ab Aemilio Quaestore lapideus factus, cum primum ab Anco Marcio sublicius structus esset, in Denario *M. Aemilii Lepidi* (1.). *Septa Comitiorum* et *Comitia* Denarii Liciniae Nervae et Mussidii repraesentant, Vid. *Virtus* et *Concordia. Rostra* in numo Lollii Palikani exprimuntur, Vid. *Libertas. Columnae* impositis statuis, in Denariis Minucii Augurini (38. 39.).

Deinde et in oculos incurrent varia opera minoris structurae, *Arae*, inter quas inprimis se exhibet celebratum *Puteal Scribonii* in Denariis Pauli Lepidi et Scribonii. Vid. *Concordia* et *Bonus Eventus*. Sic etiam *tripodes*, *tropaea.*

Leges et earum auctores praedicant Denarii Cassii, Coelii Caldi, M. Porcii et L. Papii. Ad legem de judiciis tabellariam, Cassii Longini, qui populo in omnibus judiciis, perdullione excepta, per tabellam suffragium dedit, respicit tabella cum literis A. C. Absolvo, Condemno, et urna, in area Denariorum Quinti Cassii (14. 15.). Deinde Coelius Caldus nova lege, populo potestatem fecit, etiam in perduellonis crimine suffragia dare, de quo unus ex posteris hujus viri in Denario mentionem fecit per tabulam, insignitam literis L. D. Libero, Damno (16. 17.). Typus aversae Denarii gentis Porciae adludit ad legem Porciam de provocatione, qua gravis poena irrogabatur, si quis verberasset aut necasset civem Romanum (52.). In Denario familiae Papiae, apud *Morellium*, adjuncta est typo anticae tabella, cui inscriptum PAPI, ad indicandas leges Papias, quarum una de Vestalibus lata, altera de peregrinis urbe pellendis.

Quod ad *Ludos* pertinet, jam ab *Eckhelio* observatum est, *Vaillantium* et *Havercampum*, qui omnia in familiarum numis explicare tentant,

multorum Denariorum typos, nisi se alia offert interpretatio, ad ludos trahere et saepissime, quando antica numinis caput fert, in aversa ludos his Diis sacros indicari sentire. Qua in re *Vaillantium* ipse *Spanhemius* secutus est. Non omnibus de rebus his viris consentire possumus, tamen negandum non est, interdum numorum typos ad ludorum solemnia facere, quorum nonnullos afferamus. *Ludi Apollinares equestres* indicantur per equitem rapide vectum, et per desultorem in Denariis Pisonis Frugi, Marci Censorini et Sepullii, Vid. *Apollo* et *Clementia; Florealia*, in Serviliorum Denario per caput Florae, Vid. Flora; *Cerealia* per Cererem sedentem in Denario L. Memmii, Vid. *Romulus; sacros Jovi et Magnae Matris ludos*, ab aedilibus peragi solitos, per aquilam et caput turritum Cybeles in Denariis M. Plaetorii, Vid. *Cybele* et *Panthcon; De ludis votivis publicis* a Sexto Nonio factis testes sunt Denarii gentis Noniae cum Saturni imagine et epigraphe in aversa, PRimus Ludos Votivos Publicos fecit, Vid. *Saturnus;* Memoria institutionis *Quinquatrum minorum* renovatur in Denariis Plautii (43.). *Magnifica munera* a Julio Caesare edita indicantur venationis typo in Denariis Livineji Reguli (31.).

Praeterea tandem et varia adhuc insunt familiarum numis notatu digna. In Denariis Numonis Valae habes formam *valli Romani* (41. 42.). *Monetariorum instrumenta*, incudem, malleum, forcipem, offert Denarius Carisii, cum capite Junonis Monetae in antica, Vid. *Juno; Transvectio* equitis coram censore in Licinii Denario cum Veneris effigie. *Lectisternii* imago in Denario Coelii Caldi (18.). Proponuntur insuper in numis nostris *instrumenta pontificalia*, *arma*, *signa militaria*, *curruum diversa genera*, itemque *navigiorum.*

Discimus ex numis nostris etiam discrimen inter *sellas curules*, consulibus, praetoribus, aedilibus curulibus, censoribus proprias, et *subsellia* magistratibus inferioribus tributa, quod in forma consistit. *Sellis curulibus* sunt pedes curvi, *subselliis* recti. *Sellae curules* insunt Denariis Cornelii Sullae, Furii Crassipedis, Cestii, Considii, Lollii, Valerii, Messalae, *subsellia* se sistunt in Denariis Caninii, Calpurnii, Critonii.

FAMILIAE NOMEN.	*N U M I.*
AEMILIA.	Caput muliebre diadematum et laureatum, juxta ROMA. et X. MV. AEMILI. Statua equestris d. hastam tenens insistit ponti, intra cujus tres arcus scriptum LEP. (1)
AEMILIA.	Caput muliebre diadematum laureatum, in area corolla et alia sigilla. M. LEPIDVS. AN. XV. PR. H. O. C. S. Eques lento gressu s. tropaeum gestat.

Literae illae significant: ANno XV. PRaetextatus Hostem Occidit Civem Servavit. (2)

AEMILIA. Caput muliebre diadematum laureatum, in area varia sigilla.
M. LEPIDVS. Eques lento gressu s. tropaeum gestat. (3)

AEMILIA. ALEXANDREA. Caput muliebre turritum.
M. LEPIDVS. PONT. MAX. TVTOR. REG. S. C. Lepidus togatus stans regi togato adstanti et d. hastamtenenti diadema imponit. (4)
Vid. et *Genii Locorum.*

AEMILIA. Caput muliebre velatum, in nonnullis juxta simpulum et corona.
M. LEPIDVS. AIMILIA. REF. S. C. Basilica Aemilia. (5)
Restitutus a Trajano.

AQUILLIA. IIIVIR. VIRTVS. Protome Virtutis capite galeato.
MAN. AQVIL. MAN. F. MAN. N. Miles clypeum tenens et respiciens d. mulierem nudam in genua procumbentem sublevat, infra SICIL. (6)
Serratus.
Vid. et *Virtus.*

ARRIA. M. ARRIVS. SECVNDVS. Caput virile modice barbatum.
Hasta pura inter lauream et quandam speciem arae ignitae. (7)

ARRIA. M. ARRIVS. SECVNDVS. Caput muliebre supra quod F. P. R.
Eadem aversa. (8)
Literae in antica sunt: Fortuna Populi Romani.
Aureus.
Vid. et *Fortuna.*

ATIA. Q. LABIENVS. PARTHICVS. IMP. Caput nudum modica barba vestitum.
Equus frenatus cum stragulis. (9)

CAECILIA. Caput Palladis alatum, pone X.
ROMA. Mars in citis bigis, in imo caput elephanti. (10)

CAECILIA. Caput Palladis alatum juxta X et ROMA.
M. METELLVS. Q. F. Caput elephanti intra clypeos Macedonicos, omnia intra lauream. (11)

CAECILIA. Caput juvenile diadematum pendentibus cincinnis, juxta X. et ROMA.
Eadem aversa. (12)

CAECILIA. Caput Palladis alatum galeatum pone X et ROMA.
C. METELLVS. Vir togatus in bigis elephantorum, quem advolans Victoria coronat. (13)
Pondera cum simili epigraphe et elephanti capite, vid. *Pondera.*

CASSIA. Q. CASSIVS. Caput muliebre, juxta LIBERT.

Templum rotundum, intra quod sella curulis, in area hinc urna, illinc tabella, cui inscriptum: A. C. (14)
Vid. et *Libertas.*

CASSIA. Q. CASSIVS. Caput muliebre velatum, juxta VEST.
Eadem aversa. (15)
Literae A. C. sensum habent Absolvo, Condemno.
Vid. et *Vestalis.*

COELIA. C. COEL. CALDVS. COS. Caput virile nudum imberbe, pone tabella, cui inscriptum: L. D.
CALDVS. IIIVIR. Caput Solis radiatum, ante quod clypeus rotundus, pone clypeus oblongus. (16)
Similis *aureus.*
Literae L. D. sensum habent, Libero, Damno.

COELIA. C. COEL. CALDVS. COS. Caput virile nudum imberbe, hinc vexillum, cui inscriptum HIS. illinc aper — In aliis hinc pilum hastae, illinc vexillum simile. — In aliis: Aper hastili praefixus.
C. CALDVS. IMP. A. X. (Scriptum linea perpendiculari). Numen propositum in lectisternio cui inscriptum: L. CALDVS. VIIVIR. EPVL. hinc et illinc tropaeum, in imo CALDVS. IIIVIR. (18)

CLAUDIA et CORNELIA. MARCELLINVS. Caput virile imberbe nudum, pone triquetra.
MARCELLVS. COS. QVINQ. Templum quatuor columnarum, ad quod vir velatus et togatus accedit tropaeum gestans. (19)
Restitutus a Trajano.

CORNELIA et POMPEJA. SVLLA. COS. Caput imberbe nudum.
RVFVS. COS. — Q. POM. RVFI. Caput imberbe nudum. (20)

CORNELIA et POMPEJA. SVLLA. COS. — Q. POMPEI. RVF. Sella curulis, hinc lituus, inde corona.
RVFVS. COS. — Q. POMPEI. Q. F. Sella curulis, hinc telum, illinc ramus. (21)

CORNELIA. FELIX. Caput diadematum promicante e genis lanugine, amictu leonino ad collum in nodum collecto.
FAVSTVS. Diana in citis bigis, d. flagellum in litui formam effictum, in area quatuor astra. (22)

CORNELIA. Caput Veneris, juxta globus.
Vir humi decumbens adsistentibus Diana et Victoria palmae ramum tenente. (23)

CORNELIA. Caput Veneris laureatum diadematum, pone sceptrum et S. C.
FAVST. (in monogrammate) Tria tropaea, hinc guttus, illinc lituus. (24)

CORNELIA. FAVSTVS. Caput Dianae imminente lunula, pone lituus.
FELIX. Vir togatus sedens, cui vir flexo uno genu ramum porrigit, adest vir alter eodem situ, sed manibus retro colligatis. (25)

CORNELIA. Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum, pone S. C.
Quatuor corollae globum ambientes, infra acrostolium et spica.
Similis sed FAVST. in monogrammate in antica.

DIDIA. Caput galeatum alatum, in area ROMA. in monogrammate et X.
T. DEIDI. Vir curto habitu, praecinctus parazonio, s. clypeum tenens et d. flagellum attollens castigat virum nudum et armatum adstantem. (26)

DOMITIA. AHENOBARBVS. Caput nudum barbatum.
CN. DOMITIVS. IMP. Prora navis supra quam tropaeum. (27)

DOMITIA. AHENOBARBVS. Caput nudum barbatum.
CN. DOMITIVS. L. F. IMP. Templum quatuor columnarum juxta quod: NEPT. (28)
Aureus.

LIVINEJA. L. REGVLVS. PR. Caput nudum imberbe. Saepe abest epigraphe. — In aliis: Caput juvenile, pone sceptrum.
L. LIVINEIVS. REGVLVS. Sella curulis, hinc et illinc tres fasces sine securibus. (29)
Similis *aureus.* (30)

LIVINEJA. Caput idem.
L. REGVLVS. Duo luctantes cum leone, tigride, tauro. (31)

LIVINEJA. Caput idem.
L. LIVINEIVS. REGVLVS. Modius inter duas spicas. (32)
Restitutus a Trajano.

LIVINEJA. L. REGVLVS. PR. Caput idem.
REGVLVS. F. PRAEF. VR. Sella curulis super qua corona, hinc et illinc fasces sine securibus. (33)

MANLIA. Caput Palladis alatum, juxta ROMA, et X. omnia intra torquem.
L. TORQVA. Q. EX. S. C. Vir galeatus d. hastam s. clypeum rapido equo vectus. (34)

MARCIA. Caput virile tectum galea mentum claudente, ex ea superne protuberant duo cornua hircina, defluo retro diademate, ante quod Φ, pone ROMA. in monogrammate.
L. PHILIPPVS. Statua equestris d. ramum. (35)

MARCIA. Caput Palladis alatum pone ✕.
Q. PILIPVS. Eques citato cursu d. hastam, infra ROMA. (36)

MARCIA. ANCVS. Caput regis Marci Anci diadematum, pone lituus.
PHILIPPVS. Arcus continui, quibus inscriptum: AQVA. MAR. his imposita statua equestris.

Restitutus a Trajano.

Vid. et *Historia Romana.*

Similis epigraphe in Quadrante, vid. *Pondera.*

MINUCIA. Caput Palladis alatum, pone X.

TI. MINVCI. C. F. AVGVRINI. Columna striata, cui imposita statua ad columnae sinistram vir augurali habitu, stans cum lituo, ad dexteram alia figura togata stans utraque manu incertum quid tenens et pede sinistro incertum quid calcans, ex columnae basi hinc et inde exsurgit spica. (38)

MINUCIA. Caput Palladis alatum, prae quo X. pone ROMA.

C. AVG. Idem typus, sed columnae capitellum magis ornatum et praeterea ad ejus basin hinc et illinc leo procumbens. (39)

Similis epigraphe in Semissibus et Quadrantibus, vid. *Pondera.*

MINUCIA. Caput muliebre galeatum.

Q. THERMI. M. F. Duo milites strictis se gladiis petentes, tertio medio ad genua prolapso. (40)

NUMONIA. C. NVMONIVS. VAALA. Caput imberbe nudum.

VAALA. Miles vallum castrorum oppugnat, intus binis illud defendentibus. (41)

Restitutus a Trajano.

Similis cum Victoria in antica. Vid. *Victoria.*

Similis *aureus* cum Victoriae capite in antica, vid. *Victoria.* (42)

PLAUTIA. L. PLAVTIVS. Persona muliebris intextis capillitio serpentibus.

PLANCVS. Aurora alata quatuor equos junctos habet. (43)

Vid. et *Aurora.*

In nonnullis in antica L. PLVTIVS.

Similes aureos barbaros affert *Eckhel*, D. N. V. Vol. V. pag. 278.

JUNIA. Persona barbata laureata, infra quod aratrum, intra torquem.

D. SILANVS. L. F. Victoria in citis bigis d. flagellum s. palmae ramum, infra aratrum. (44)

Similis cum voce ROMA, loco aratri.

PLAUTIA. P. YPSAE. S. C. Caput muliebre latiore fascia redimitum, pone delphinus.

C. YPSAE. COS. PRIV. CEPIT. Juppiter fulminator in citis quadrigis. (45)

Similis cum Neptuni capite in antica, vid. *Neptunus.* (46)

PLAUTIA et AEMILIA. P. HYPSAEVS. AED. CVR. C. HYPSAE. COS. PREIVER. CAPTV. Juppiter fulminator in citis quadrigis, in nonnullis infra scorpius.

M. SCAVR. AED. CVR. EX. S. C. in imo REX. ARETAS. Aretas juxta camelum genu flexus oleae ramum offert. (47)

In nonnullis subaeratis inscriptio REX. ARETAS. abest.

PLAUTIA. A. PLAVTIVS. AED. CVR. S. C. Caput muliebre turritum.
BACCHIVS. IVDAEVS. Bacchius genu flexus s. camelum freno retinet d. oleae ramum offert. (48)
Vid. et *Cybele*.

POBLICIA. Caput muliebre tectum galea, cui superne malleolus imminet, juxta X.
C. MAL. Vir nudus stans ante tropaeum d. hastam, dextrum pedem thoraci imponit, in area prora navis, cui apis insistit. (49)
In nonnullis το MAL. insculptum est cistae quadratae.

PORCIA. M. CATO. Caput muliebre, pone ROMA.
VICTRIX. Victoria sedens d. pateram protendit s. palmae ramum tenet. (50)
In aliquibus intra sellae fulcra S. T. et in aliis in antica additum PRO. PR. et Victoria in aversa d. manu corollam tenet.

PORCIA. M. CATO. Caput juvenile hedera redimitum. In nonnullis additum PRO. PR. aut literae latinae vel graecae aut minuta sigilla.
Eadem aversa. (51)
Quinarius.

PORCIA. P. LAECA. Saput Palladis alatum, in area X et ROMA.
PROVOCO. Vir paludatus stans dexteram imponit capiti adstantis civis togati, illinc stans lictor cum virgis. (52)

POSTUMIA et JUNIA. A. POSTVMIVS. COS. Caput Postumii nudum.
ALBINVS. BRVTI. F. scriptum intra coronam spiceam. (53)

SERGIA. EX. S. C. Caput Palladis alatum pone ROMA. et X.
M. SERGI. SILVS. Eques galeatus paludatus citato cursu s. gladium et amputatum caput humanum gestans, in area Q. (54)

SERVILIA. Caput Palladis alatum pone lituus, juxta X, infra ROMA.
C. SERVEIL. Eques galeatus cum hasta et clypeo, cui inscriptum M., citato cursu invehitur in alium equitem fugientem. (55)

SERVILIA. Caput muliebre laureatum, pone lituus, juxta X, infra ROMA. in area varians alphabeti litera.
Eadem aversa. (56)
Alius C. Servilii Denarius cum militibus armatis in aversa, vid. *Flora*. (57)

SERVILIA. Caput Palladis alatum, retro varians litera alphabeti Graeci.
M. SERVEILI. C. F. Duo milites omissis equis pedestrem pugnam ineunt, in imo litera alphabeti latini. (58)

CLASSIS TERTIA.

PONDERA SEU MONETA AENEA FAMILIARUM.

T Y P I.

As: Caput Jani gemini in medio I.
Prora navis in area I et ROMA.
Semis: Caput Jovis, juxta S.
Prora navis, in area S. et ROMA.
Triens: Caput Palladis, juxta quatuor globuli.
Prora navis, juxta quatuor globuli et ROMA.
Quadrans: Caput Herculis, juxta tres globuli.
Prora navis, juxta tres globuli, in area ROMA.
Sextans: Caput Mercurii, juxta duo globuli.
Prora navis, juxta duo globuli, in area ROMA.

N U M I.

ABURIA.	*Quadrans.* M. ABVRI. M. F. GEM.
	Quadrans. C. ABVRI. GEM.
	Sextans. C. ABVRI. GEM.
ACILIA.	*Semis.* M. ACILI.
	Quadrans. M. ACILI.
AELIA.	*As.* BALA.
	Quadrans. BALA.
AFRANIA.	*As.* S. AFRA. juxta delphinus.
	Semis. Eadem epigraphe, juxta delphinus.
	Quadrans. Eadem epigraphe et delphinus.
	Sextans. Eadem epigraphe et delphinus.
ANTESTIA.	*As.* C. ANTESTI. in area canis currens.
	Semis. Eadem epigraphe et canis currens.
	Triens. Eadem epigraphe et canis currens.
	Quadrans. Eadem epigraphe et canis currens.
APPULEIA.	*As.* L. AP. in monogrammate.
	Triens. Eadem epigraphe.
	Quadrans. Eadem epigraphe.
ATILIA.	*As.* M. ATILI.
	Semis. Eadem epigraphe.
	As. SAR.

	Semis. Eadem epigraphe.
	Triens. Eadem epigraphe.
	Quadrans. Eadem epigraphe.
	As. AT. in monogrammate.
	Quadrans. ATIL. in monogrammate.
AVRELIA.	*Sextans.* AVR. in monogrammate.
BAEBIA.	*As.* M. BAEBI. Tres navium prorae in aversa.
	As. TAMP. in monogrammate.
	Semis. Eadem epigraphe.
CAECILIA.	*As.* ME.
	Quadrans. ME.
	Quadrans. ME. in area scutum.
	Semis. Q. METE.
	Quadrans. Eadem epigraphe.
	Triens. Eadem epigraphe.
	Semis. M. METELLVS. in area scutum.
	Quadrans. Eadem epigraphe.
	Semis. C. METELLVS. in area caput elephanti.
	Semis. Anepigraphus, in area caput elephanti.
	Quadrans. Anepigraphus, in area caput elephanti, ex cujus collo tintinabulum pendet.
CAECINA.	*As.* A. CAE.
	Semis. A. CAE.
	Triens. A. CAE.
	Quadrans. A. CAE.
	Sextans. A. CAE.
CALPURNIA.	*As.* L. PISO. FRVGI. In prora navis aversae stat Victoria.
	Semis. Eadem epigraphe.
CARVILIA.	*As.* CAR. OGVL. VER.
CASSIA.	*As.* C. CASSI. L. SALIN.
	As. L. SALIN. C. CASSIVS. Inter Jani capita lunula, in prora navis aversae literae D. S. S.
	Dodrans. Caput Vulcani, pone forceps in area S. et tres globuli. Eadem aversa.
	Dodrans. Caput Apollinis laureatum, juxta S. et tres globuli. Eadem aversa.
CIPPIA.	*Semis.* M. CIPI. M. F.
CORNELIA.	*As.* CN. BLASIO. CN. F. C. N. In aversa Victoria stans. d. malleum, tropaeum statuit.
	As. BLASIO. CN. F. C. N. Idem typus in aversa.

	As. P. BLAS.
	Quadrans. P. BLAS.
	As. C. BLAS.
	As. CINA.
	Semis. CINA.
	Triens. CINA.
	Quadrans. CINA.
	As. CN. LENTVL.
	As. CN. LENTV.
	As. CN. LENT.
	Semis. CN. LENT. infra tridens.
	Quadrans. CN. LENT.
	As. P. SVLLA.
CUPIENNIA.	*Semis.* C. CVP.
CURIATIA.	*Semis.* C. CVR. F. In prora navis aversae Victoria.
	Triens. Eadem epigraphe, Victoria.
	Quadrans. Eadem epigraphe, Victoria.
CURTIA.	*Semis.* CN. DOMI. M. SILA. Q. CVRTI. Clava.
	Quadrans. CN. DOMI. M. SILA. Q. CVRTI. Arcus, clava, jaculum.
DOMITIA.	*Semis.* CN. DOMI.
	Quadrans. CN. DOME.
EPPIA.	*As.* MAGNV. PIVS. IMP. Inter Jani capita ara, super qua ovum dimidium, cui serpens circumvolvitur. In aversa epigraphe: EPPIVS. LEG.
	As. Sine epigraphe in antica, in aversa EPPIVS.
FABIA.	*As.* Caput Jani superne defixos palos habet. C. FABI. C. F. in area avis.
	As. In aversae area parva prora navis.
	Quadrans. Q. FABI.
	As. Q. MA. In aversa tres prorae navis, in area pilei Dioscurorum.
	Semis. MA. in monogrammate.
	Sextans. MA. in monogrammate.
	Quadrans. MAX. in monogrammate.
	Quadrans. Q. MAX. in monogrammate.
FABRINIA.	*Semis.* M. FABRINI.
	Triens. Eadem epigraphe.
	Quadrans. Eadem epigraphe.
	Sextans. Eadem epigraphe.

FONTEIA.	*Semis.* C. FONT.
	Triens. C. FONT.
	Quadrans. C. FONT.
	As. MAN. FONT. In area ancora.
	As. MAN. FONT. In area pilei Dioscurorum.
FURIA.	*As.* PVR.
	Semis. PVR.
GELLIA.	*Semis.* CN. GEL.
HERENNIA.	*Quadrans.* M. HEREN.
JUNIA.	*As.* D. SILANVS. L. F. Capiti Jani superne sunt infixi pali.
	As. C. IVNI.
	Semis. C. IVNI.
LICINIA.	*As.* L. MVRENA.
	As. Eadem epigraphe. In aversa Victoria tropaeum coronans.
	Quadrans. Eadem epigraphe.
	Sextans. Eadem epigraphe.
	Semis. P. NERVA. In prora navis aversae figura muliebris.
	Quadrans. P. NERVA. In prora navis aversae equus.
LIVIA.	Vid. *Oppia.*
MAENIA.	*Quadrans.* P. MAE. ANT. ME.
MAIANIA.	*As.* C. MAIANI.
MARCIA.	*Quadrans.* Eadem epigraphe.
	As. Caput barbatum diadematum, juxta scriptum: NVMA. POMPILI. jugatum cum capite imberbi, adscripto: ANCVS. MARCI.
	C. CENSO. ROMA. Duo arcus, in quorum uno Victoria basi insistens, in altero subducta navis, supra quam lunula.
	As. Eadem antica, sed adscriptum: NVMAE. POMPIL. et ANCI. MARCI.
	C. MARCI. CENSO. ROMA. Duae navium prorae, super quarum una Victoria basi insistens.
	Quadrans. L. PHLIPPVS. In prora navis aversae gallus stans.
	As. Q. MARC. LIBO.
	Semis. Eadem epigraphe.
	Triens. Eadem epigraphe.
	Sextans. Eadem epigraphe.
	Quadrans. M. MARCI. M. F.
MARIA.	*Semis.* C. MARI.
MEMMIA.	*Semis.* L. MEMMI. in area Victoria.
	Quadrans. Eadem epigraphe.
MINUCIA.	*Quadrans.* L. MINVCI.

	Semis. TI. AVGVRINI. in area lituus.
	Quadrans. Eadem epigraphe, in area lituus.
	Semis. C. AVG.
	Quadrans. C. AVG.
NUMITORIA.	*Semis.* C. NVMITORI.
	Triens. Eadem epigraphe.
	Quadrans. Eadem epigraphe.
	Sextans. Eadem epigraphe.
OGULNIA.	*As.* OGVL. CAR. VER.
	As. OGVL. VER. CAR. in area L.
OPEIMIA.	*As.* OPEI.
	Semis. Eadem epigraphe.
	Quadrans. L. OPEIM. In aversa clava.
OPPIA.	*As.* C. CASSI. L. SALIN.
	As. L. SALIN. C. CASSI. Inter Jani capita lunula, in navis prora aversae literae: D. S. S.
PAPIRIA.	*As.* TVRD.
	Semis. TVRD.
	Triens. TVRD.
	Quadrans. TVRD.
	Semis. CARBO. in area stella.
	Quadrans. CARBO. in area fulmen.
PINARIA.	*As.* NAT.
	Semis. NAT.
	Triens. NAT.
	Quadrans. NAT.
	As. NAT. in monogrammate.
	Semis. Eadem epigraphe.
	Triens. Eadem epigraphe.
POMPEJA.	*As.* MAGN. In aversa PIVS.
	As. L. POMP.
	Semis. Eadem epigraphe.
	Triens. Eadem epigraphe.
	Quadrans. Eadem epigraphe.
	Sextans. Eadem epigraphe.
	Semis. SEX. POMP.
QUINCTIA.	*Semis.* *T. Q.*
	Quadrans. T. Q.
RUBRIA.	*As.* Caput Jani geminum intermedia ara, supra qua ovum dimidiatum, cui serpens obvolvitur.

L. RVBRI. DOSSEN. Prora navis.

As. Capita Herculis juvenis et Mercurii instar Jani conjuncta, cum clava et caduceo.

L. RVBRI. DOSSEN. Prora navis juxta templum distylon, intra quod ara cum ovo et serpente.

SATRIENA. *Semis.* SAT.

SAUFEIA. *As.* L. SAVF. in area lunula.

Semis. Eadem epigraphe et idem sigillum.

Triens. Eadem epigraphe et idem sigillum.

As. C. S. X.

Semis. C. S. X.

Triens. C. S. X.

Quadrans. C. S. X.

Sextans. C. S. X.

SCRIBONIA. *As.* C. SCR.

Triens. C. SCR.

Quadrans. C. SCR.

SEMPRONIA. *As.* L. SEMP.

As. Antica: PITIO. Aversa: L. SEMP.

Semis. L. SEMP.

Quadrans. L. SEMP.

As. ATRA.

As. L. ATRATINVS. AVGVR. Caput Jani imberbe. ANTONINVS. IMP. Prora navis.

SERVILIA. *Quadrans.* C. SERVILI. M. F.

Similis, in area aversae spicae.

Similis, in area aversae corolla.

SULPICIA. *Quadrans.* SVLPI.

Semis. P. GALB.

Quadrans. P. GALB.

TERENTIA. *As.* C. TER. LVC. in area Victoria volans.

Semis. Eadem epigraphe et simile sigillum.

Quadrans. Eadem epigraphe et simile sigillum.

TITIA. *As.* Q. TITI. in area stella.

TITINIA. *As.* M. TITINI.

Semis. Eadem epigraphe.

Sextans. Eadem epigraphe.

TITURIA. *As.* Caput Jani superne defixos palos habet.

L. TITVRI. L. F. infra ROMA. Prora navis.

	As. Caput Jani cum palis.
	L. TITVRI. L. F. Prora navis, infra SABINVS. in area Victoria.
TREBANIA.	*Semis.* L. TREBANI.
	Triens. Eadem epigraphe.
	Quadrans. Eadem epigraphe.
VALERIA.	*As.* VAL. in monogrammate.
	Quadrans. Eadem epigraphe.
VARGUNTEJA.	*Semis.* M. VARG.
	Quadrans. M. VARG.
VERGINIA aut	*As.* VER. OGVL. CAR.
VERGILIA.	*As.* VER. CAR. OGVL.
VIBIA.	*As.* C. VIBI. PANSA. In aversa tres navium prorae.
	As. C. PANSA. In aversa tres navium prorae.

CLASSIS QUARTA.

MONETA PRIORUM IMPERATORUM QUAE A NONNULLIS ADNUMERATUR

FAMILIARUM NUMIS.

Diximus jam, hos numos, quorum argumenta Caesarum historiam eximie illustrant, magis ad illorum monetam pertinere, quam ad numos familiarum. Tamen, cum a nonnullis iis inferantur, quia gentium nomina inscripta offerunt, illae familiae in hac classe exponuntur.

Julius Caesar in familia Aemilia, Alliena, Clovia, Cossutia, Flaminia, Julia, Livineja, Mettia, Munatia, Mussidia, Oppia, Sempronia, Sepullia, Voconia.

M. Junius Brutus, qui et *Caepio*, Imp. in familia Cassia, Cornelia, Flavia, Junia, Pedania, Plaetoria, Servilia, Sestia.

C. Cassius Longinus, Imp. in familia Cassia, Cornelia, Caecilia, Servilia.

Sextus Pompejus, Imp. in familia Minatia, Nasidia, Pompeja, Poblicia, Terentia.

M. Aemilius Lepidus, IIIVIR, in familia Aemilia, Antonia, Livineja, Mussidia.

M. Antonius, in familia Antonia, Claudia, Cocceja, Domitia, Gellia, Junia, Livineja, Mussidia, Munatia, Pinaria, Sepullia, Turillia, Valeria, Ventidia.

Pertinent huc quoque Marci Antonii Denarii et numi Legionum et Cohortium. Hi numi nomina Legionum et Cohortium inscripta offerunt, quas sub signis habuit Antonius. Illos numos signare curavit et mandavit, ut videtur, ad Legionum benevolentiam captandam, simulque ut jactaret vires suas tam maritimas, quam terrestres, unde typos elegit aquilam legionariam et navem praetoriam.

Augustus, in familia Aemilia, Antonia, Antestia, Aquillia, Carisia, Caninia, Claudia, Durmia, Julia, Licinia, Livineja, Maria, Mussidia, Mescinia, Petronia, Pinaria, Rustia, Salvia, Sanquinia, Sempronia, Sulpicia, Vibia, Vinicia, Vipsania.

Huc quoque locum capiunt *Numi Triumvirorum Monetalium* aenei, cum capite aut inscriptione Augusti, quorum typi illi sunt:

Aenei formam I nonnihil excedentes.

CAESAR. AVGVST. PONT. MAX. TRIBVNIC. POT. Caput Augusti, cui Victoria retro stans lauream allegat.
(Nomen IIIviri) IIIVIR. A. A. A. F. F. in medio S. C.

Aenei I formae.

OB. CIVIS. SERVATOS. Corona quernea inter duos lauri ramos.
(Nomen IIIviri) IIIVIR. A. A. A. F. F. in medio S. C.

Aenei II formae.

CAESAR. AVGVSTVS. TRIBVNIC. POTEST. addito in nonnullis PONT. MAX. Caput Augusti nudum.
(Nomen IIIviri) IIIVIR. A. A. A. F. F. in medio S. C.
AVGVSTVS. TRIBVNIC. POTEST. intra coronam quernam.
(Nomen IIIviri) IIIVIR. A. A. A. F. F. in medio S. C.

Aenei III formae.

Nomina Triumvirorum vel in antica vel in aversa, vel utrinque. Typus: Duae dextrae junctae caduceum tenent, aut simpulum et lituus, aut cornucopiae, aut ara, aut incus.



INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM FAMILIARUM ROMANARUM.

ERRATA.

pag. 7, lin. 12, loco *Semisso*, lege, Semisse.
— 33, — 27, — *Cornelies* — Corneliae.
— 38, — 22, — *procuratia* — procuratio.
— 38, — 25, — *imagina* — imagine.
— 42, — 14, — JANNIA — FANNIA.
— 44, — 6, — *Clandiam* — Claudiam.
— 72, — 28, — *Paterna* — Patera.
— 88, — 25, — FVSIA — FVFIA.
— 95, — 33, — III — III.
— 99, — 4, — *regum* — regem.
— 99, — 9, — *Minucia* — Minuciae.
— 104, — 16, — adde 17.



